

05

A

724



DISPUTATIO THEOLOGICA
SOLENNIS

De

PRÆDESTINATIONE ET RE-
PROBATIONE,

Contra Calvinianos,

Quâ

PRÆSIDE

JOHANNNE MEISNERO,
THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. FACUL-
THEOL. SENIORE, ET ECCLESIAE COLLE-
GIATAE OMNIUM SANCTORUM
PRÆPOSITO,

PRO LICENTIA,

Assumendi summum in Theologiâ Gradum,

*Publicè ad d. XI. Februar. Horis ante 6
pomeridianis*

RESPONDEBIT

M. JOHANNES SIMON, Ecclesi-
Seydensis Pastor & vicinarum Superin-
tendens.



WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS WENDT/
ANNO MDC LXIX.



05 A 724

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI
GEORGIO II.

DUCI SAXONIÆ, JULIACI
CLIVIÆ AC MONTIUM, SACRI
ROM. IMPERII ARCHIMARESCHALLO
ET ELECTORI,

LANDGRAVIO THURINGIÆ
MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON
UTRIUSQUE LUSATIÆ, COMITI
DE MARCA ET RAVENSBURGO,
DOMINO IN RAVEN-
STEIN, &c.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO,

GRATIA

GRATIAM DEI PERENNEM,
FELICITATEM IN CHRISTO OMNIUM,
DIRECTIONEM SPIRITUS S. PERPETUAM,
VITAM LONGÆVAM,
BENEDICTIONEM ANIMÆ, CORPORIS
DOMUSQUE SERENISSIMÆ COPIOSISSIMAM
T QUÆCUNQUE PII PRINCIPIS VOTA SUNT,
ANIMITUS PRECOR,

HOC GYMNASMA ACADEMICUM
HUMILLIMA MENTE

OFFERENS

SERENISSIMÆ EJUS CELSITUDINIS

HUMILLIMUS SERVUS

M. JOHANNES SIMON.



De

PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

I.

Cum dogma de absoluto Electionis ac Reprobationis decreto Cor & Palladium dicatur, cœlo delapsum, quo salvo manente & in tuto locato tam firma sint totius Reformatæ civitatis mœnia, ut nullis machinis dejici aut expugnari queant, cadente verò, aut subducto, ut Hierichuntis muri olim, sponte suâ corruant, operæ pretium visum est, ei explicando nonnihil laboris impendere, atque ad eò ostendere breviter, quàm falsum, impium & absurdum illud sit, Scripturæ sacræ, bonitati item, justitiæ ac sapientiæ divinæ inimicum, Christo Domino nostro ignominiosum, pietati & bonis moribus noxiùm, vivificæ consolationis omnis ac totius denique religionis Christianæ, quam funditùs evertit, certissima pestis atque calamitas, operam itaque dandam esse, ut maturè ex Ecclesiæ pomœriis, ne per illud Stoicis, Manichæis, Epicuræis, aut si qui aliàs gloriæ Dei & salutis hominum professi hostes sunt, clanculùm irrependi lata porta patefiat, eliminetur, & ad ortum usque, unde caput infauisto sidere extulit, ne unquam in lucem redeat, relegetur. Quod ut semper aliàs rectè fieri solet ac debet, ita hoc imprimis tempore in eam curam incumbere par est, quò vehementiùs, quàm unquam antea, commendatur, pingitur ac dedolatur, non quidem ut maculæ, quæ ei obhærent, abstergantur, aut potiùs totum illud, quantum quantum est, abjiciatur, sed ut novo quodam excogitato commento ac fuco adhibito, veluti meretricula quædam purpurisso tincta, comptius paulo atque ornatius in scenam prodeat, & artificiosâ amicitia simulatione tanto faciliùs imperitioribus imponat.

II. Equidem antiquiores, & qui primi feces illas ex Stoicorum, Manichæorum, Pelagianorum aliorumque hæreticorum, Ecclesiæ Christianæ carcinomatum, lacunis hauserunt, cum dogmatis tam

A

impii

impii ac perniciosi suppuderet, à totâ illâ doctrinâ, vel saltem alterâ ejus parte, quæ de absoluta maximæ partis hominum, sine ullo suo merito aut demerito, ad æternum exitium destinatione agit, prorsus abstinendum esse, neque aut in sermonibus, qui ad rudem populum instituuntur, aut disputationibus cum doctioribus ullam ejus rei mentionem fieri voluerunt, veriti scilicet, si laicis, & qui ista non satis capere possunt, proponatur, ne ad securitatem inducantur improbi, aut ad desperationem adigantur afflicti. Qua de re monachi alicujus exemplum Augustinus adducit, lib. II. de Bono persever. cap. xv. *Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus cum quedam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum præscivit.* Inter eos verò, qui perpetuo silentio involvendum & tacitâ potius veneratione suscipiendum hoc mysterium censuerunt, in Galliis quoque extiterunt olim, qui multum nos, ut Prosper Epistolâ ad Augustinum loquitur, *& vita meritis antecellunt, & aliqui eorum, a deo nuper summo sacerdotii honore, supererminent.* Horum pervicacia, teste eodem Prospero, *eo descendit, ut fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse desiniant, ac sic etiamsi vera sit, non promendam, quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeant, conticeantur.* Atque hi sine dubio Semipelagiani fuerunt, Masiliæ enim degebant, quæ præcipua Semipelagianorum sedes erat. Eos autem superiori seculo Beza in Colloquio Mompelgartensi, & hoc nostro denuò ante paucos annos tum Collocutores Hagienfes, tum qui ex universo orbe Calvinistæ Dordrechtii convenerunt, secuti sunt. Contra-Remonstrantes enim in Colloquio Hagienfi libello supplice Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus exhibito necessitatem illam de Reprobatione agendi deprecabantur, Dordracenî autem Sessione xxxii. Remonstrantes monuerunt, *ut potius questionibus illis inharerent, quæ circa suavem de electione doctrinam versarentur, quàm ut odiosè doctrinam de Reprobatione exagitarent.* Cumq; hi Sess. xxxiv. respondissent, *non de electione tantum, unâ prædestinationis parte, sed & de alterâ, Reprobatione nimirum, agi debere.* Et iterum p. 172. *Agnoscamus cum Rev. D. Præside, doctrinam Electionis esse suavem, & consolationis plenam, Reprobationis verò*

Verò ingratam, sed arbitramur eas, quæ ex absolutâ & inconditionatâ Electione eliciuntur, consolationes periculi plenas esse, & peccandi comœatum hominibus (si ex suâ indole æstimentur) facere, & oppositam Reprobationis absolutæ doctrinam jure meritoq; odiosam esse, quia desperationis plena est, & justitiæ divinæ contraria. Neque id tantum agendum Ecclesiæ Pastoribus, ut peccatores solentur, verum hoc quoque studium ipsorum esse debet, ut sceleratos & improbos moneant, fugere à venturâ illâ Reprobationis irâ, idque multis aliis, iisque gravissimis rationibus in medium adductis, quæ adhuc in Collat. Hag. p. 50. & ipsorum Scriptis historicis p. 80. leguntur, adstruxissent, & plus vice simplici repetiissent, tot argumentis tamen, tot remonstrantiis, precibus ac supplicationibus impetrare non potuerunt, ut sibi de Reprobatione æquè ac Electione agere liceret, nisi iniquissimis conditionibus, quas *repagulum* Remonstrantes Epistolâ ad Theologos omnes in Synodo congregatos p. 168. vocant. Nam ait Synodus, inquit, *de Reprobatione agendi libertatem nobis concedi, sed (en repagulum!) quantum ad gloriam Dei, ad Synodi informationem, ad Ecclesiæ edificationem & conscientiarum tranquillitatem posse & debere satis esse à Synodo (hoc est, uti nos in conscientia judicamus, parte adversâ) judicabitur.* Eam igitur libertatem indulgit Synodus, quâ non ipsis illis, de quorum sententiâ, capitibus ac fortunis agebatur, doctrinam suam proponere licebat, prout ipsi causæ suæ utile ac proficuum, sed prout adversarii, qui rei & iudices sedebant, necessarium judicarent.

III. Quanquam verò ultrò ac lubentes fateamur, de arduo hoc & difficultatibus plenissimo doctrinæ Christianæ capite non nisi prudenter, circumspectè, sobriè & modestè loquendum, nec aliunde, quàm ex solo Dei verbo, nec ex lege, sed unicè Evangelio disputandum & judicandum esse, quod etiam Formula Christianæ Concordiæ Repetit. & declarat. artic. xi. p. 804. fieri voluit, nequaquam tamen, aut totum illud, aut aliquam saltem ejus partem, magnam aut parvam, supprimendam, & ex animis & memoriâ hominum eradicandam, omnesque de eo disputationes, tanquam inutiles & perniciosas, ex Ecclesia proscribendas esse censemus. Quia enim in Scripturâ sacrâ non obscurè, sed clarè & apertè, nec semel tantum, sed sæpiùs & iteratis vicibus inculcatur, & ad Dei misericordiam

diam & justitiam declarandam, bonitatem item ac *Φιλανθρωπίαν* commendandam, conscientias de peccatis sollicitas solatio erigendas, reprobas verò à peccatis absterrendas non parùm conducit, ideò æquè ac reliquæ partes, tradendum, & populo sedulò inculcandum est. Unde Formula Concord. pag. 797. seq. rectè ait: *Non sentiendum est, doctrinam de hoc articulo (si tamen juxta præscriptum & analogiam verbi Dei & fidei proponatur) vel inutilem, vel non necessariam esse: multò autem minùs existimandum est, quod offensionis, plena sit, & detrimentum aliquod piis mentibus afferat. Scriptura enim sacra hujus articuli non semel tantùm, & obiter mentionem facit, sed multis locis eundem satis copiosè tractat & explicat. Neque verò propter abusum aut sinistras aliquorum opiniones, doctrina verbi cœlestis negligenda est aut rejicienda, quin potiùs eam ipsam ob causam, ut abusus & prava opiniones tollantur, vera de hoc negotio sententia ex sacrarum literarum fundamentis proferenda atque proponenda est.* Hactenus liber Christianæ Concordiæ, prorsus ad eundem modum, ut Augustinus olim Masiliensibus respondebat Lib. II. de Bono persever. cap. XIV. *Sed ajunt Prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam, quasi verò adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide & veritate prædestinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit?* Et mox iterum: *Cur prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioniq; que omnia frequentat Scriptura divina, existimamus inutilem definitionem prædicationis, quam commendat eadem Scriptura divina?* Idem Apostolus exertè docet, omnia quæ præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta esse, ut inde fidem, spem ac consolationem hauriamus, Rom. xv. 4. Nisi itaque Apostolo apertè obloqui, & quod ille utile ac necessarium, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, judicat, nos inutile, periculosum ac perniciosum, si populo inculcetur, statuere velimus, omninò publicè proponendum & sedulò explicandum est. Atque his, multisque aliis rationibus permoti recentiores nobiscum planè consentiunt, & doctrinam illam non tantùm non tollendam, sed publicè ac privatim, rudioribus æquè ac doctioribus, servatis tamen debitis conditionibus, proponendam & inculcan-

inculcandam esse docent. Ita enim Molin. cap. II. Anatom. Armin. p. 4. *Hi dum præ se ferunt studium pietatis & amorem concordiae, Christum & Apostolos tacite insimulant imprudentia, quod doctrinam electionis in Novo Testamento tam frequenter inculcaverint; Et dum præpostera religione attinentur, authores sunt Pastoribus Ecclesiae, ut portionem recidant de Dei Verbo, nec proponant populo integram doctrinam Evangelii. Et dum voluntaria ignoratione affectant laudem modestiae, in Deo ipso desiderant prudentiam. Quid, quod absque hac doctrina non potest tribui Deo honor, qui debetur, nec fides nostra stabiliri? Kuchlinus etiam ad q. LIV. Catech. Palat. Theol. de Prædest. resp. M. Gerharδο Vosfio Heidelbergensi, num. 24. *Audiendi non sunt, inquit, qui ad fructus enumeratos cecutientes tantum non sepultam cupiunt omnem prædestinationis mentionem, aut solummodo inter doctos in scholis tractari volunt. Nam multiplici usu Ecclesiam Dei spoliant, simulq; Deum insimulant imprudentia, atque si ei excidisset, quod Ecclesiae foret noxium, cum tamen Scriptura, ut nihil prætermittit scitu necessarium, ita nihil continet, nisi quod scire convenit. Verum enim verò qui tam magnificè de publicis disputationibus istis verba faciunt, cum ad rem ipsam devenit, suspenso admodum gradu incedunt, & tam ambiguè sæpè, tam obscuris verbis phrasibusque utuntur, ut perinde sit, nullamne omninò, an talem disputationem admittant & exhibeant. Et præstat tacere, quàm ita loqui, ut intelligi nolis, & alios decipias.**

IV. Mirari autem subit, cur tantopere abhorreant ab eo dogmate, quod ipsimet *Christianismi, salutis & certitudinis de salute fundamentum* esse judicant, unde certa atque vivifica consolatio omnis, quæ quidem conscientiam tranquillam reddere possit, arcessatur, & cui laus gratiæ ac misericordiæ Dei innitatur, ut si quis indubium vocet, eadem operâ gratiam divinam impugnet, & ad Pelagianismum viam sternat, uti Geldricæ Syn. deputati in jud. provinc. p. 37. 42. censent. Si enim fundamentum est Christianismi, salutis & certitudinis de salute, neminem utique Christianorum, cui salus sua cordi est, ignorare decet, modo fundamentum salutis idem sit, quod causa & principium, habeatque rationem fundandi & causandi salutem sempiternam. Ignorato enim & destructo hoc fundamento totum Christianismum, salutem, certitudinemque de salute,

lute, & cætera omnia, quæ ei inædificantur, corruere necessum est. Sicut, qui tibicinem, aut fundamentum, cui ædificium innititur, subtrahit, structuram ipsam destruit atque evertit. Destruitur autem fundamentum non tantum positivè, quando id, quod fundamentum ipsum constituit, producit aut conservat, directè aut indirectè, per se aut per consequentiam, removetur aut impugnatur, & aliud quid, quod ei oppositum est, substituitur, vel etiam alienum, quod cum principali dogmate simul stare nequit, admiscetur, sed etiam negativè, cum ea, quæ ad fundamentum scitu necessaria sunt, ignorantur, & ne ab aliis cognoscantur, impedimentum objicitur: Nam ille quoque ædificium destruit, qui ea, quæ necessariò adesse debebant, non supponit: Unde qui Christi meritum ac satisfactionem ignorat, æquè fundamentum fidei evertit, & damnatur, ac qui illud prorsus negat aut impugnat, ut Apostolus testatur II. Thess. I. 8.

v. Falsum autem est doctrinam de absoluto electionis ac reprobationis decreto Christianismi, salutis ac certitudinis de fide fundamentum esse. Christianismi enim ac salutis fundamentum non in eo consistit, ut statuatur, Deum ex mero & absoluto beneplacito quosdam homines ad vitam æternam destinasse, sine intuitu Christi mediatoris, & antequam ipse salutis fundamentum constitueretur. Quod dogma tantum abest, ut ponat aut constituat fundamentum, ut fortissimè potiùs labefactet ac destruat. Nam ubi Christi meritum non intervenit, ibi nec Christianismus aut fides, multo minus aut salus, vel aliud denique, quod ad hominis justificationem, glorificationem ac salutem æternam quicquam facit, locum habere potest. Per ipsum enim & in ipso Deo placemus & electi sumus, in ipso & propter ipsum in tempore vocamur, justificamur, in filios Dei adoptamur & denique glorificamur, is solus fundamentum est, semel positum, extra quod aliud ponere nemo potest I. Cor. III. II. ipsi soli salus nostra primò & principaliter innititur. Per decretum absolutum verò omninò excluditur. Quanquam enim copiosè & verbis ad ornatum compositis Christum mediatorem deprædicare soleant, ipsum scilicet *ab æterno Mediatorem & omnium electorum caput, salutisq; fundamentum* constitutum esse, ut Dordraceni loquuntur cap. I. artic. VII. p. 341. Quos certatim alii deinceps longo ordine

ordine vel sequuntur, vel præeunt, imprimis Britanni ad art. i. thes. i. *Christus est caput & fundamentum electorum, adeoque omnia beneficia salutifera in decreto electionis præparata, non nisi propter Christum, per Christum & in Christo conferuntur electis: Non aliter tamen ad electionem admittunt, quam ratione executionis, quod Deus illis, quibus ex absoluto & peremptorio decreto salutem & vitam æternam destinavit, nullo alio medio, quam per Christum in tempore dare velit. Id enim mysterium Alting. ad quæst. xxi. p. 131. nobis pandit, cum ita scribit: Est Christus instrumentum exequendæ prædestinationis. --- Est etiam causa faciendæ sive decernendæ prædestinationis non meritoria, quâ mediator, siquidem prædestinatio non pendet ab ullâ causa extra Deum, sed tûm efficiens, quâ Deus cum patre & Spiritu sancto, tûm impulsiva, secundum gratiam & misericordiam suam, quam cum Patre & Spiritu sancto communem habet. In margine verò hæc addit, ut ne ignoretur, & animo unquam excidat: Christus, quâ mediator, non est fundamentum electionis. Ita quoque in ipsâ Synodo Hasfiaci p. 531. Ecclesie Reformate docent, Christum esse electionis (non decernendæ sed exequendæ) medium & quidem *πρῶτον καὶ κύριον*, id est, primum ac præcipuum, cui reliqua omnia media, putâ fides, justificatio, sanctificatio, ipsaq; etiam salus innitantur, ita quidem, ut decretum de Christo mittendo & in ignominiosam mortem tradendo, ordine sit posterius decreto Electionis, seu Electione. Embd. p. 581. Malumus simpliciter dicere, nos in Christo *ἵνα ἐν αὐτῷ* tanquam in capite electos esse: nisi enim & Deus & homo fuisset, non potuissimus in eo eligi. Hoc tamen non de decreto in sese, sed de executione intelligi volumus. Si verò Christus cum merito suo non aliter negotium salutis nostræ ingreditur, quam quod Deus decretum suum per eum exequatur, & salutem electis jamtum ex absoluto beneplacito suo destinatam in tempore largiatur, certè nec decretum ipsum tanquam causa meritoria, fide apprehendenda, quicquam attinet, nec salutis fundamentum est, quin tota illius satisfactio inutilis ac frustranea fuerit. Nec enim electis quicquam promeritus est, ac ne quidem promereri debuit aut potuit, quibus Deus jamtum ordine prius, quam de Mediatore quicquam statueret, salutem decrevit, & vi decreti peremptorii dare tenebatur. Unde ita licet argumentari: Per quem & propter quem, tanquam*

mediatorem,

mediatorem, nemo ad salutem eligitur, ille salutis fundamentum dici nequit, imò ab electionis decreto prorsus excluditur. Atqui propter Christum, tanquam mediatorem, juxta decreti absoluti patronos, nemo eligitur. E. Christus eo modo consideratus non est fundamentum salutis. Et iterum: Nullum decretum, cujus Christus non est fundamentum, est fundamentum salutis. Atqui decretum absolutum est tale decretum. Decretum igitur Dei de æternâ nostrâ salute, cujus Christus fundamentum non est, non est fundamentum Christianismi & salutis, nec in Scripturis patefactum, nec salutare, sed impium, perniciosum & ad homines seducendos atque in inferni barathrum præcipitandos à Diabolo excogitatum.

VI. Si excipiant, Christum tamen statui à se Mediatorem ab æterno destinatum, caput item & fundamentum omnium electorum, à quo salus eorum pendeat, respondetur I. considerari eo pacto non ut mediatorem, qui patrem placarit, & morte ac passione suâ justitiæ divinæ satisfecerit, ita enim ab electione excluditur, quippe sine quo jamtum facta est, sed ut Deum, qui æquè ac pater & Spiritus sanctus nos elegerit, & si hac ratione fundamentum electionis appellandus foret, eo modo Pater ac Spiritus sanctus fundamentum fuerit, & rectè omninò statuendum ac credendum foret, nos per patrem ac Spiritum sanctum, in patre ac Spiritu sancto, & propter eosdem electos esse. Nec aliter intelligendum est, quando ab eo salutem pendere & electis dari tradunt. II. Si ut mediator consideratur, ad executionem referunt, non decretum ipsum, quo Deus absolutâ voluntate sine intuitu in ipsum ejusque meritum paucis hominibus salutem dare constituit, ut autem electi infallibiliter eò perducerentur, Deum mediatorem ordinasse, qui pro illis satisfaceret, illis, solis tamen, omnia ad salutem perveniendi media procuraret, & omnium eorum caput ac fundamentum fieret. III. Concedimus, Christum ab æterno Mediatorem ac redemptorem à patre destinatum esse, quicquid enim ille in tempore facit, ab æterno facere decrevit, decretum tamen illud de dando mediatore electionis decretum non demum secutum est, ut illi volunt, sed præcessit, nisi enim Deus ordine prius statuisset mediatorem Christum mittere, non potuisset deinde salutem iis, qui in ipsum credituri erant, destinare. Prætereà non fuit mediator ordinatus pro paucis, aut
solis

solis electis, sed omnibus hominibus, hac conditione, ut in ipsum respicerent, ac denique decretum de mittendo mediatore, non est ipsum decretum salvationis, aut saltem non integrum, sed pars ejus, cui multa alia accedere necessum est. Quicquid sit, nequam inde sequitur, decretum absolutum fundamentum esse Christianismi ac salutis, sed utrumque potius destruere, certè non parùm labefactare.

VII. Sed nec certitudinis de salute nostrâ fundamentum ullo modo dici potest. Unde enim constat illi, qui statuit, Deum ab æterno ex absoluto quodam beneplacito decrevisse, ex totâ hominum colluvie singulares quasdam personas, easq; admodùm paucas eligere & salute æternâ donare, longè maximam verò earum partem reprobare & nunquam terminandis suppliciis addicere, unde, inquam, constat, se quoque numero illo paucorum comprehendi? Si quis enim de salute suâ certus esse gestiat, decretum Dei ad se quoque pertinere, certò scire & intelligere debet. Ex decreto ipso verò cognoscere id non licet; de eo enim nunc disputatur, & nihil omninò nobis constaret, nisi Deo placuisset in Verbo suo revelare, unde relinquatur, quod ex ejusdem executione innotescat, vel ex peculiari à Deo facta revelatione, vel ex fide & sensu ejusdem, vel interno testimonio Spiritus sancti. Revelatio Dei specialis, qua dicatur, Petrum, Paulum, Andream absolutè electos esse, idq; ipsi firmiter persuasum esse debere, quòd Deus, qui mentiri ac fallere non potest, id verbo suo revelaverit, nullibi extat. Nec ex fide ejusq; sensu quicquam certi statui potest, est enim reprobis & electis communis & in *περὸν αἰετός* quandoque reperitur. Et quid si persuasio saltem inanis, non vera cordis fiducia foret, cum certo fundamento, hoc est, verbo Dei, cui innitatur, careat? Nec à Spiritu sancto certitudo oriri potest, qui testimonium quidem perhibet spiritui nostro, quod simus filii Dei, id tamen per verbum tantum facit, quo carent, qui promissiones universales de gratiâ Dei universali, mediatore omnibus hominibus destinato, & fide omnibus exhibenda, in dubium vocant. Viderint autem, qui sine externo testimonio Scripturæ ex solo interno Spiritûs testimonio apud animum suum statuunt, se electos esse, ne ad Enthusiasmum prolabantur, & Spiritûs fallacis mendacisq; testi-

monium arripiant, & reprobis, ut idem credant, occasionem præbeant: nam & hi sibi persuadere possunt, se electos esse, & de testimonio Spiritus gloriari. Ut igitur decretum illud Christianismi ac salutis fundamentum non est, ita nec certitudinis de salute suâ cuiquam esse potest, ac proinde omnibus, tanquam fundamentum seu articulus fidei ad salutem scitu credituq; necessarius, non obtrudendum.

VIII. Cæterum ne quidem doctrina orthodoxa de electione fidelium ad vitam æternam tale quid est, hoc est, fundamentum seu articulus fidei principalis, qui sive ratione medii, sive præcepti, vel quòd cum aliis fidei articulis necessario cohæreat, omnibus hominibus ad salutem consequendam necessarius sit, ita quidem, ut mediante ejus explicitâ, distinctâ & accurata cognitione, nisi aliud quid obstet, salute æternâ potiantur, eo autem ignorato ab eadem excludantur. Quanquam enim ipsum fundamentum salutis nostræ reapse in electione situm sit & ab eadem principaliter pendeat, & multa præterea dogmata ad eam rectè explicandam & docendam, vel alias necessaria, in ea comprehendantur, qualia sunt, de universali Dei benevolentia, merito item Christi, vocatione, justificatione & similia, quia tamen hîc non agitur de re ipsa seu decreto, an ex Dei ordinatione ad salutem nostram necessarium fuerit, sed notitia ejus, nec unius tantum ejus partis, sed totius ordinis semel à Deo instituti, & quæ ad eum pertinent, ideò sunt sanè dogmata de universali Dei erga omnes homines benefica voluntate, universali item Christi merito, fundamenta seu articuli fidei fundamentales, quorum notitiâ mediante fides in animis nostris generetur, atque intellectus liberetur ignoratione ejus rei, sine cujus accuratâ notitiâ fides & salus æterna haberi nequit, electionem tamen ipsam ejusq; notitiam fidei fundamentum esse, ita quidem, *ut ex hoc, quando scio, me esse ad vitam æternam electum, tanquam ex unico & adequato principio fluat hæc notitia, Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, B. Hunnius in Diascepsi n. 573. & seq. his rationibus inductus negat i. quod notitia Electionis ad salutem nusquam in Scripturâ sacrâ proponatur, tanquam fidei fundamentum, seu doctrina, ex quâ immediatè resultet fiducia in Dei gratiam & Christi meritum. Quod fides per nullam firmam rationem profluere possit ex notitiâ

titiâ.

titiâ Electionis, crediturum enim, seu fide nondum donatum, sed eâ demum imbuendum nihil certi inde cognoscere. III. Quod Electionis notitia expiret penes eos, ad quos fidei fundamentum vel maximè pertineat: cum enim fundamentum fidei sit applicabile omnibus hominibus, electis æquè ac reprobis, perseveranter & ad tempus credituris, incredulis & non renatis, gravioribus peccatoribus & contra conscientiam delinquentibus, tentatis denique & omnib; adeò fide ejusq; sensu destitutis, ut aut verà fide imbuantur, aut in eadem confirmentur ac conserventur, doctrinam tamen de electione ita comparatam non esse, ut proponi & inculcari debeat reprobis, tanquam doctrina, unde nascatur fides, cum ad eos nullâ ratione spectet, nec incredulis, ut inde fidem primò hauriant, fundamentum enim fidei fide ipsa prius esse, & ordine prius innotescere oportere, nec iis, qui in peccata gravissima & conscientiam vastantia prolapsi sunt, cum fidem nullam habeant, nec tentatis, qui de electione dubitant, aut prorsus desperant. IV. Quod electio nec immediatè homini innotescat, nec per ea media cognosci possit, quæ omnibus fidei fundamento indigentibus sint communia, nec enim cognosci per fidem, aut fide sensum & fructum, nec per Spiritûs sancti testificationem, vocationem aut justificationem. Quæ omnia copiosè ibi, & accuratè, ut solet, Hunnius exponit, ut ostendat videlicet, nec cognitionem illius dogmatis ad fidem & salutem absolutè necessariam esse, nec simplicem ejus ignorationem quæquam eadem excludere.

IX. Quanquam autem eo modo forte comparatum non sit, ut fidei & salutis fundamentum esse & appellari queat, tria tamen adhuc observanda sunt, *primum* doctrinam hanc sartam tectam ideo semper tenendam esse, ne quicquam negetur eorum, quæ in Scripturis sacris divinitus revelata sunt, aliàs enim verbis Dei fides derogaretur, & ipse ille mendacii argueretur. Quicumque autem vel minimum verbum Dei falsitatis accusat, gravissimum peccatum committit, & nisi maturè resipiscat, salute æternâ excidit, non quod fundamentum fidei, aut fidem ipsam impugnet aut neget, sed propter accedens vitium morale, contra primam Decalogi tabulam commissum. *Quicumque enim solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum, Christus*

ait, Matth. v. 19. Qui solverit Scripturam, hoc est, errorem docet, & Scripturas perperam interpretatur, aut omninò negat vera esse, quæ in ea continentur, sicut Joh. x. 35. dicitur, Scripturam non posse solvi, is minimus vocabitur, seu non erit ei locus in regno cælorum. Et Apostolus ultionem & flammam ignis utrisque minatur, tam iis, qui ignorant Deum, quam qui non obediunt Evangelio ipsius II. Thess. I. 8. *Alterum* est, doctrinam orthodoxam de Electione ideò necessariam esse, ne contrarium dogma de gratiâ Dei absolutissima, electione sine fide & intuitu meriti Christi facta, particularitate satisfactionis ipsius, reprobatione item hominum peremptoria, & sine demerito ipsorum decreta, clanculum vel apertè introducatur. Verum enim necessarium est tam sui ipsius causâ, quam propter oppositum, ne per errorem contrarium paulatim labefactetur & destruat, & non tantùm sententia orthodoxa alicujus dogmatis, cum semel innotuit, arctè tenenda est, verùm etiam sedulò cavendum, ne alienum quid ei admisceatur, vel ad latus jungatur, quo posito, id cui apponitur, statim evertatur, ut cum Pontificii gratiæ Dei & merito, opera tùm propria, tùm aliena, veluti sordes quasdam, allinunt, non tantùm Christi mediatoris, sed suo quoque merito se justitiam & salutem æternam impetrare posse opinantur, & cum Galatæ circumcisionem atque adeò totam legem in N. T. necessariam, & cum fide in Christum conjungendam censerent, audire coguntur ab Apostolo, *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Christus vobis factus est otiosus, quicumque per legem justificamini, à gratiâ excidistis*, Gal. v. 2. 4. Id verò tantò magis hîc observandum est, quòd doctrina de absoluto decreto Deum peccati causam constituat, gratiam ejus & meritum Christi extenuet, Spiritus sancti organa, verbum & Sacramenta, virtute sua spoliet, fidem, salutem, ac totam adeò religionem Christianam funditùs evertat. *Tertium*, si nullo alio modo necessaria esset doctrina de electione, ad id tamen plurimùm conduceret, ut ea, quæ impedimento sunt, quo minus quis fidem concipere possit, removeantur, & tentationes, si quæ fortè suboriuntur, de gratiâ Dei ac Christi, particularitate, damnatione, & his geminæ aliæ, amoliri & superari queant. Ut si quis ex inspiratione Diaboli, aut à mundo & pravis carnis cupiditatibus seductus statuatur, Deum sibi irasci, nec
miseriâ

miseriâ sui affici, ut ex inferni lacu, quo se propriâ culpâ præcipitavit, eripere velit, meritum Christi ad se non pertinere, nec verbum Dei sibi annunciari, ut convertatur, sed magis ac magis induretur, & damnetur, quibus doctrinis sine omni dubio fides tollitur, aut impeditur, & media omnia, quibus ingenerari solet & debet, inutilia inefficaciâq; redduntur, huic inculcandum est, Deum neminem ex absolutâ voluntate præterire aut damnare constituisse, nec aliter erga peccatores æquè miseros affectum esse, quàm in Verbo divinitus revelato significavit, velle quoque seriò, quantum in ipso est, omnes vocare, convertere & salvare, & ut omnes, qui per Verbi prædicationem vocantur, veniant, à peccatis & incredulitate abstineant, meritum Christi fide amplectantur, & salute æternâ potiantur. Quanti ergò momenti doctrina ista censerî debeat, & à Reformatis statuatur, ita patet.

x. Non tantùm autem decretum illud fundamentum fidei & salutis constituunt, unde Christi incarnationem & meritum, gratiam Dei efficacem, vocationem, fidem in Christum, & in eadem perseverantiam, lapsum item Adami & damnationem derivant: *Quod aliqui in tempore fide à Deo donantur, aliqui non donantur, id ab æterno ipsius decreto provenit, --- secundum quod decretum electorum corda, quantumvis dura, gratiosè emollit, & ad credendum inflectit, non electos autem justo iudicio suæ malitiæ & duritiæ relinquit,* ajunt Dordraceni cap. i. n. vi. Et iterum n. ix. *Electio est fons omnis salutaris boni, unde fides, sanctitas & reliqua dona salvifica, ipsa deniq; vita æterna, ut fructus & effectus ejus profluunt:* Sed etiam primum & summum principium, unde dogmata omnia, maxima minima, in Theologia proponi solita, & Christianis omnibus scitu credituq; aut alio modo necessaria, arcessunt. Quod ut reliquis Calvinianis omnibus eorumque confessionibus solenne est, ita vel ex solo Catechismo Palatino, & methodo, quam adhibet, & serie quæstionum manifestò patet. Cum enim quæst. i. Catechetes quærit: *Quæ est unica tua consolatio in vita & in morte?* respondet: *Credo, quod animo pariter & corpore, sive vivam sive moriar, Domini & Servatoris mei Jesu Christi sim proprius, qui pro peccatis meis plenissimè satisfecit, meq; ita conservat, ut sine voluntate patris mei, ne pilus quidem de meo capite possit cadere: Imò verò omnia salutis meæ servare*

oporteat: *Quocirca me quoque Spiritu sancto de vitâ eternâ certum facit, utque ipsi deinceps vivam, promptum ac paratum reddit: nec quæstio ipsa, nec responsio de ullo alio, nisi prædestinato, & de electione suâ jam antea persuaso, intelligi potest. Ex electione enim, tanquam ex fonte, consolationem omnem in vita pariter ac morte contra peccatum & infirmitatem fidei, gaudium item supra mundum & mundana omnia, tripudium quoque contra omnes hostes in ipsa Synodo p. 511. derivant Palatini, & p. 517. omnis consolationis plenissimam Theologiæ practicæ Logicam, etiam in maximis animi angoribus exercendam vocant hanc: Electi non seducuntur: Ego electus sum: Igitur nunquam seducar. Item: Oves Christi nemo rapiet de ipsius manu. Ego Christi ovis sum: novi enim pastorem meum, hunc amo, huic credo, huic vivam, huic moriar. Igitur securus, & letus sum in Deo meo, & ingemino illud Pauli: Quis me separabit à charitate Christi? Eo modo etiam reliqua verba, quæ subjiciuntur, intelligenda sunt, quod Christus Dominus ac Servator suus sit, quod pretioso sanguine pro se satisfecerit, à Diabolo liberaverit, conservet, & de vita æterna certum faciat, ut ei soli deinceps vivat. Quæ omnia ad reprobos non magis pertinent, quàm Diabolos: Si enim ex Japonensi aut Brasiliano quæras, *quæ est unica consolatio tua in vitâ & morte?* non respondebit, opinor, quod *sim Christi servatoris mei proprius*, sed in hunc fortè modum, se in vitâ quidem delectari carnibus humanis, nescire autem, quorsum post mortem sit transferendus. Solis igitur electis Christus Dominus & Servator destinatus est, solis illis patrem satisfactione sua reconciliavit, soli illi fide donantur, & de eadem certi redduntur, & conservantur, uti ex omnium antiquorum pariter ac recentiorum scriptis notum est. Longè verò rectius & compendiosius Catechumenum suum informasset Catechetes, si nudis & apertis verbis interrogasset, *quid credis?* & eum respondere jusisset, *credo, quod electus sim*, aut saltem ad quæstionem, *quæ est unica tua consolatio in vitâ & morte?* loco proluxioris responsionis, concinniore, & captui discipulorum ac rudiorum convenientiorem subjecisset, *Credo quod electus sum.* Quæst. II. de mediis, quibus vera ac solida consolatio electorum animis instillari queat, interrogant, *Quot sunt tibi scitu necessaria, ut illâ consolatione fruens, beatè vivas & moriaris?**

ris? Qualia verò & quanta illa media sint, nunc non vacat edifferere. Ad hunc fontem igitur referre deinceps oportet omnia, quæ in Catechismo traduntur, primam scilicet partem de hominis creatione & integritate, miseria item & corruptione, alteram de liberatione à peccatis & restitutione ejusdem in pristinum statum, & tertiam denique de gratitudine, quæ Deo ob accepta beneficia debeatur. Rectè igitur & convenienter hypothesebus suis faciunt Calvinistæ, quod ab hoc dogmate omnis disputationis ac *παιδείας* Theologicæ initium faciant, & inde dogmata omnia de Deo & SS. Trinitate, creatione hominis, lapsu item & ejusdem reparatione depromenda & probanda esse censeant. Quod accuratè quoque Catechismus Palatinus observavit. Primo enim de peccato seu miseriâ hominis, deinde liberatione ejusdem per Christi meritum ac satisfactionem, nec non lege ac Evangelio unde illa innotescat, tum fide, quâ beneficia Christi apprehendantur, ac demum de Deo & SS. Trinitate, Creatione hominis, Incarnatione Christi, passione, morte & resurrectione, quæ omnia decretum de prædestinatione præcedant, agit. Pergant itaque cæteri, qui Catechismum librum Symbolicum agnoscunt & amplectuntur, eundem callem premere & disputationes suas omnes, compendia ac confessiones ab electione absolutâ auspiciari, & sit hæc, si ita volunt,

--- -- *ritulo res digna sepulchri.*

XI. Quo ordine verò & qua methodo in tradendâ doctrinâ Christianâ & proponendis articulis fidei procedere oporteat, non aliunde rectius, quàm ex ordine ac methodo, quam Deus ipse in reparatione hominum, & Prophetæ atque Apostoli in eorundem informatione, ac gentilibus convertendis adhibuerunt, hodieque adhuc adhibendum esse censent, discere licet. Deus autem in reparandis & ad salutem æternam perducendis hominibus hoc ordine utitur, ut eos ante omnia vocet, convertat, fide justificante donet, sanctificet, ac tum demum glorificet, ut Apostolus testatur Rom. VIII. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Apostoli quoque in informandis gentilibus, & ad Ecclesiam, fidem ac salutem perducendis eadem methodo usi sunt, ut initium *παιδείας* Theologicæ à Deo & creatione universi, transgressione primorum paren-

parentum, ac, quam sibi sponte consciverunt, morte non tantum temporali, sed æternâ quoque facerent, postea ad spiritualia Dei beneficia progressi docerent, quemadmodum iste pro benignitate suâ nostri misertus Filium suum in carnem miserit, ut ille pro peccatis nostris satisfaceret, & omnes ad amplectendum tantum bonum invitaret, justificaret, sanctificaret, ac tandem æternâ felicitate bearet, ut scripta eorum, imprimis verò Acta Apostolica passim testantur. Nuspiam verò leguntur à prædestinatione cœpisse, aut sermones suos, quos ad populum habebant, ita exorsos esse: Notum vobis facio, Auditores, Deum Opt. Max. sicuti justus pariter ac misericors est, ita ab æterno statuisse, utrumque, ut in aperta luce collocentur, demonstrare: Ut verò materiam exercendæ ejus haberet, constituisse secum homines alios vitæ æternæ deputare, multò maximam autem vestri partem citra omnem fidei vel peccati, obedientiæ aut inobedienciæ intuitum, ex puro puto placito æterno exitio & ineluctabili miseriæ addicere, & hoc modo justitiam suam & severitatem erga hos, misericordiam erga illos ostendere. Cum verò nulli adhuc homines existerent, decrevisse porrò eos creare, & ex æquo omnes ad peccatum arcano impulsu ac motione deducere, aut necessariis ad peccatum non perpetrandum subsidiis instruere, non eum in finem, ut peccato abstinerent, & perpetuâ felicitate omnes fruerentur, sed, ut sponte sua in peccatum prolapsi, quidam ex iis eligi, cæteri in communi miseriâ relinqui possent. Ad executionem autem decreti hujus præordinasse, electis quidem donationem Christi Servatoris, vocationem ad fidem, justificationem, sanctificationem, & perseverantiam in fide & sanctitate, reprobis verò, desertionem in peccato, privationem omnium eluctandi mediorum, indurationem & excæcationem. Quo decreto posito non posse hos salvari, nec illos damnari, sed utrosque inevitabili necessitate ad suum finem deduci. Eo modo, inquam, nunquam & nuspiam leguntur Apostoli sermones suos instituisse, ut scilicet initium eorum facerent ab electione & reprobatione, tum ad doctrinam de hominis miseriâ, demum verò de Deo, SS. Trinitate, creatione progredierentur, qui ordo à Catechismo Palatino observatur, aut ut doctrinam de Deo & SS. Trinitate præmitterent quidem, eidem tamen statim prædestinationem ac tum demum creationem

tionem

tionem, lapsum & reparationem subji cerent, quod Wendelin. in Theol. & Polanus in Syntagm. fecerunt, vel denique cum Dordracensibus & Leidensibus in Synopsi primo quidem de lapsu ac peccato, postea statim de electione, Christi incarnatione, vocatione, justificatione & glorificatione agerent, sed ita potius locuti sunt, *Convertimini ad Deum vivum, qui fecit caelum & terram, mare, & omnia, quae in eis sunt, qui in prae-teritis generationibus dimisit gentes ingredi vias suas &c. Act. xiv. 15. seqq. Quem ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum -- -- Et tempora quidem hujus ignorantiae dissimulans Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique praenitentiam agant, eò quo statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitia, per virum, per quem decreverat, fidem offerens omnibus, postquam suscitavit eum à mortuis, cap. xvii. 23. 24. 30.* Hanc methodum adhuc observare oportet omnes alios in suis Catechesibus, confessionibus ac systematibus, qui eam in re operæ aliquod pretium facere volunt, ut initium scilicet faciant à doctrina de vero Deo, ejusque operibus externis, obligatione item hominis ad colendum eum, ortâ ex beneficiis in eum uberrimè collatis, tum demum ad doctrinam de lapsu, & reparatione, seu beneficiis spiritualibus per Christum impetratis transeant, ac demum his omnibus praedestinationem subjungant. Hic ordo enim & rei ipsi, seu decretis in mente Dei aptissimus est, & à Deo ipso in adducendis hominibus ad salutem, Apostolis verò in informandis gentilibus adhibitus, à protoplastis quoque in statu integritatis observatus fuit, & postea quoque observandus fuisset, si maximè nunquam ex illâ miseriâ liberati fuissent.

xii. His igitur ad eum modum praemisissis, rem ipsam nunc aggrediemur, qua in parte ductum Formulæ Concordiæ sequemur. Cùm enim liber ille doctrinae sincerioris in Ecclesiis Lutheranis sonantis Synopsin & publicam confessionem, ex sacris literis extractam, pulcherrimaque methodo expositam, & publico Ecclesiae judicio secundum infallibilem Scripturae canonem examinatum & approbatam contineat, & ideò propriè conscriptus sit, ut esset norma & regula, ad quam illi, qui publicè in Ecclesiis ac Scholis provinciarum ipsi addictarum docent, doctrinam suam, quoad res pariter ac phrasas, conformare debeant, & ut ab heterodoxis distin-

gvantur, ipse etiam Sebast. Curtius in Colloquio Cassellano nuper à parte Reformatorum collocutor, libro de Fundamento salutis, quem Wittebergensibus Theologis præcipuè opposuit, fateatur, se & Reformatos cæteros, consilium, quod Formulæ Concordiæ auctores suppeditarunt, *ex asse sequi in tractando sublimi doctrina de Prædestinatione & consiliis divinis negotio, quinimo definitionem seu descriptionem æternæ Electionis, quam famigeratissimi istius libri auctores dederunt, nusquam rejicere, imò verò solidè probare*, p. 192. haud abs re fuerit dispicere, tum quæ sit vera, orthodoxa, & ipsius adeò Formulæ Concordiæ de sublimi isthoc articulo sententia, tum quàm longe alia & prorsus contraria Calvinistæ credant, & publicè doceant, unde manifestum fiet, eos nec eandem doctrinam aut definitionem nobiscum amplecti, nec in societatem Ecclesiarum Lutheranarum admitti posse.

XIII. Ita verò liber iste Epitome p. 617. & uberiori Repetit. ac declar. p. 761. de æternâ Prædestinatione ac Reprobatione disputat, ut primò omnium veram & orthodoxam sententiam affirmativè, ut loquitur, exponat, deinde negativam, quâ falsa doctrina continetur & rejicitur, addat, ut appareat scilicet, quid verum aut falsum, rejiciendum aut approbandum fuerit. In primâ parte, seu thesi purioris doctrinæ i. vocabula quædam, in hac disputatione adhiberi solita, & sine quibus dogma ipsum distinctè & accuratè tradi & errores ostendi nequeunt, explicat. ii. de causâ efficiente & meritoria agit. iii. de Causâ impulsiva. iv. Objecto ejusdem. v. Formâ. vi. Executione prædestinationis per certa instrumenta. vii. deniq; opposito ejus, seu reprobatione. Idem igitur ordo à nobis impræsentiarum observabitur, nam in duas partes totam istam tractationem dispescemus, quarum primâ veram & orthodoxam sententiam tam de Prædestinatione, quàm Reprobatione adducemus & explicabimus, alterâ verò heterodoxam de iisdem capitibus, & quantum à nobis & doctrina cœlesti Calviniani discedant, ostendemus. Quod ut in majorem Dei gloriam, Ecclesiæ Christi ædificationem, veritatis assertionem & propagationem, falsitatis autem destructionem cedat, Deum ex animo veneramur.

PARS

PARS PRIMA

continens

Sinceram doctrinam de Prædestinatione
& Reprobatione.

CAP. I.

De

Vocabulis nonnullis.

XIV.

Vocabula, quæ in hoc articulo præcipuè occurrunt, & nos ad illam, de qua acturi sumus, prædestinationem præmunire debent, ista sunt: Providentia, Præscientia, Prædestinatio, Electio, Voluntas, Propositum & Decretum. Meritò autem à Providentiâ Dei initium ducimus, nam & prædestinatio pars quædam ipsius est, ut Thomas docet i. p. q. xxiii. art. i. & multa inter se communia habent. Cùm enim per creationem initium essendi creaturæ accipiant, per providentiam id consequuntur, ut in esse illo perdurent, per prædestinationem denique ad finem supernaturalem perducuntur. Quæ tria tam arctè invicem cohærent, ut ignoratis prioribus actibus, aut minùs rectè explicatis, ultimus rectè intelligi ac tradî nequeat. De creatione non est, ut hoc loco disputationem instituamus. Providentia verò est Dei actio, quâ res omnes ad finem sibi convenientem diriguntur. Ejus quasi species quædam est prædestinatio, qua homo certis mediis ad finem à Deo ordinatum, quî est æterna salus, destinatur. Sicut autem hæc duo multis modis inter se conveniunt, ita nec paucioribus discrepant. Conveniunt in eo, quod utraque scientiam Dei & præscientiam, cum notione antecessionis cujusdam, item voluntatem Dei & decretum, ordinem etiam, quem observare solet, finem denique ad quem creaturæ dirigendæ sunt, complectatur. Differunt autem i. quod providentia ad creaturas omnes pertineat, prædestinatio verò tantùm ad intelligentes, nec omnes tamen, sed solos homines, si vocabulum prædestinationis propriè capiatur. ii. Providentia, quâ talis, respiciat fines tantùm naturales, creaturæ per se convenientes: Prædestinatio verò solam, supernaturalem, seu beatitudinem æternam, sicut

C 2

Reproba-

Reprobatio damnationem interminabilem. *Duplex enim finis est, ad quem res creata à Deo ordinantur*, ut iterum Thomas in corp. ait, *Unus, qui excedit proportionem naturae creatae & facultatem, & hic finis est vita aeterna, quae in divinâ visione consistit, quae est supra naturam cujuslibet creaturae. Alius autem finis est naturae creatae proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suae causae.* III. Prædestinatio ab æterno facta est, providentia non item, hæc enim in eo posita est, quod quidem novit Deus ab æterno creaturas, iisque media constituit, sed in tempore suppeditat, ut ad fines suos pertingere possint, nam in conservatione & gubernatione rerum creatarum propriè consistit. IV. Utraque quidem scientiam Dei supponit, sed Providentia absolutam, quâ simpliciter intuetur, quid circa creaturas à se conditas absolutè futurum sit, Prædestinatio verò conditionatam, quâ prævidet, an homines mediis salutis usuri sint, an ea repudiaturi, ut his damnatio, illis salus æterna decerni possit. V. Providentia non semper finem suum, ad quem creaturæ ordinatae sunt, assequitur, prædestinatio nunquam excidit, sed certissimè & infallibiliter consequitur suum effectum. Cùm enim multa sint, quæ creaturis liberis media intervertere, aut ipsæ ab aliis agentibus impediri queant, inde fit, ut non rarò fine suo excidant, in prædestinatione verò non tantùm media Deus iis ordinavit, sed ab æterno quoque prospexit, qui iis rectè, aut malè usus sit, ideò & finem decrevit, & eum semper assequitur. V. Denique providentia simpliciter à Dei bonitate pendet, Prædestinatio verò ex intercessione & merito Christi, qui patrem permovit, ut & homines præ angelis lapsis deligeret, & iis de mediis, quibus ex damnatione, in quam per peccatum prolapsi erant, emergere, & salutem æternam consequi possint, prospiceret. Doctrina itaque de Providentiâ rectè intellecta non parùm momenti habet ad Prædestinationem rectè intelligendam.

xv. Sequitur Scientia & Præscientia, cujus frequens admodum in Scripturis, etiam cum de ipsa hac Prædestinatione agitur, mentio fit. Sic dicimur electi *καὶ προέγνω ἰησὺς πατρὸς*, juxta præscientiam Dei Patris, 1. Pet. 1. 2. *ὃς προέγνω, quos præscivit, hos prædestinavit*, Rom. VIII. 29. *Non rejecit Deus populum suum, ὃν προέγνω, quem præscivit*, cap. XI. 2. *Hunc definito consilio καὶ προέγνω τὸ ἰησὺς, & præ-*

Et præscientia Dei traditum accipientes, per manus peccatorum ligno affixum interemistis, Act. II. 23. Unde colligitur, præscientiam vel partem esse ordinis præstinatorii, vel actum aliquem antecedentem, sine quo prædestinatio constitui & à Deo ordinari non potuit.

xvi. Dari autem in Deo scientiam, quâ ille non tantum habitu, sicut homines quandoque scientiam rei possident, etsi eâ non utantur, sed actu ipso tum se, tum res alias omnes extra se, præsentis, præteritas & futuras, tam absolutè, quàm conditionatè tales, necessarias & contingentes, & quicquid possibile erat, accuratè norit & intelligat, eamque non constare ratiocinatione & discursu, quo unum post aliud, vel ex alio, ignotum ex noto colligitur, sed simplici rerum notitiâ, nec esse distinctum quid ab essentiâ, sed ipsam essentiam divinam, in ordine ad objecta scibilia consideratam, ex Scripturis & sanâ ratione certissimum est, nec quisquam Christianorum hæcenus, præter Faustum Socinum, ejusque in Polonia, Lithuania & Transylvania sequaces, qui tamen nihil fermè, nisi solum nomen cum Christianis commune habent, negare ausus est. Dicitur verè præscientia propter objectum extra Deum constitutum. In ipso Deo enim nihil præteritum aut futurum est, sed omnia præsentia, nullis temporum differentiis affecta: quia verò objecta non simul ac semel reapse existunt, sed quædam præterita sunt, quædam futura, & in censu reliquorum objectorum præcedunt aut sequuntur, ideo cognitio illorum præscientia dicitur. Quod si tamen ad Deum ipsum referre quis velit, *αὐτὸ θεοῦ πρῶτον* intelligendum fuerit, quod nempe juxta modum nostrum intelligendi ordo aliquis actuum divinorum sit statuendus, ut præcedat scientia, sequatur omnipotentia & voluntas, & ita porro.

xvii. Quanquam autem Deus res futuras omnes tam exactè intueatur, non secus ac si jam factæ essent, nullam tamen rebus præscientia suâ necessitatem imponit: Nec enim ulla earum ideò futura est, quia Deus futuram præscivit, sed ideò & eo modo ab æterno præscivit, quia & quo modo futura erat. Si necessariò propter causarum nexum eventura erat, tanquàm necessariâ prævidit, si contingenter, ut contingentem. Præterea scientia, ut scientia est, ad intellectum pertinet, & circa res futuras versatur non efficiendo, aut creaturas ad

unum determinando, ut hoc & non aliud, hoc aut illo modo agant, sed tantum contemplando, quæ & quales in se sint, & eo modo, quo reapse existunt: oportet enim cognitionem rebus esse consentaneam, ideo nec hoc modo necessitatem rebus imponit. Certè, qui Petrum currentem intuetur, modum aut necessitatem cursus aspectu suo minimè constituit. Accedit & hoc, quod aliàs bona æquè ac mala à Deo, & quidem necessariò producerentur, imò & infinita alia, quæ nunquam fiunt, à Deo tamen prævidentur, & si ipse vellet, producere posset. Idq; nonnulli ex Calvinistis agnoscunt. Lud. Crocius enim contra socios suos, necessitatem rerum omnium stoicam invehentes, & decretum voluntatis efficax intellectui & scientiæ divinæ præmittentes, ita disputat, ut Syntagm. lib. III. c. xv. p. 571. exerte scribat: *Intellectio sive scientia Dei, quantumvis certa & infallibilis, necessitatem tamen rebus per se nullam imponit, sed contingentiam in illis potius stabilit. Nam cum illa notitia non solum sit rei ipsius, sed etiam modi rei, omninò oportet, ut rem & modum rei, qualis est, cognoscat, prætereaq; si modus rei sit contingens, novit esse contingentem. Hoc autem fieri non potest, si rei iste modus, vel sola ratione intellectiois divinæ in necessarium mutaretur, Act. 27. 22. seqq. & 17. 18. & 25. 10. & 24. 32.* Quæ totidem verbis Dissert. vi. pag. 329. denuò inculcat.

XVIII. Atque hæc scientia in se quidem unica & simplex est, & cum essentiâ divinâ identificatur, ratione objecti tamen secundarii seu rerum creaturarum à Scholasticis distingvi solet in scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, denominatione à creaturis intelligentibus earumq; visu & intellectu desumptâ. Ut enim visus circa ea tantum versatur, quæ vera, certa, in actu posita, oculoq; præsentia sunt, intellectus verò ad plura diffunditur, & non ea tantum quæ sunt, aut erunt aliquando, sed etiam quæ fieri aut non fieri possunt, contemplatur: ita Deus scientiâ visionis omnia cognoscit, quæ esse actuale habent, & vel extiterunt aliquando, vel nunc existunt, vel extitura sunt, simplicis intelligentiæ verò ea, quæ possibile sunt, sine ulla temporis differentia, etsi actu nunquam existant, ac ne fieri quidem possint. His Jesuitæ nuper adeò tertiam quasi speciem, à prioribus distinctam, addiderunt, quam scientiam mediam vocare solent, quâ Deus cognoscat ea, quæ absolutè quidem futura non sunt.

sunt, posita tamen certâ conditione, si in tali casu, occasione, vel ordine collocarentur, futura erant. Qua de re, ut tantò rectius constare possit, Becanum audiamus, qui Part. I. Theol. Scholast. cap. x. q. 1. tum hanc, tum illas ita describit: *Scientia Dei secundum se est unica & simplex, quia est ipsamet essentia divina, quæ non nisi unica & simplex est. Terminatur tamen ad varia objecta secundaria, & ideo ex parte objecti secundarii potest esse triplex scientia. Una merè naturalis, altera merè libera, tertia media. Naturalis est, qua Deus ab æterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit res omnes possibles. Libera, quâ post decretum suæ voluntatis, absolutè & determinatè cognovit omnes res futuras. Media, quâ ab æterno, non absolutè, sed sub conditione cognovit, quid homines & angeli facturi essent, pro suâ libertate, sicum his vel illis circumstantiis, in tali vel tali rerum ordine collocarentur. Una igitur possibilium scientia est, due futurorum. Et earum altera conditionata, altera absoluta.* Idem Conclusionè III. aliter & hoc modo explicat: *Solet etiam aliter distingui scientia Dei, ut alia sit scientia simplicis intelligentiæ, alia visionis. Scientia simplicis intelligentiæ est, qua Deus cognoscit omnia possible, scientia visionis est, quâ cognoscit omnia præterita, præsentia & futura. -- -- An autem scientia media ad alterum horum membrorum revocari possit, dubium est. Aliqui revocant ad scientiam simplicis intelligentiæ, quam dicunt esse duplicem, unam absolutam rerum possible, quæ est merè naturalis, alteram conditionatam rerum futurarum, quam nos mediam vocamus. Aliqui putant parùm referre, sive eò revocetur, sive non, quia potest constitui tertium membrum. Et sic est. Quid enim obstat, quo minus dicamus doctrinæ causâ, unam esse scientiam possible, alteram futurorum absolutè, tertiam futurorum sub conditione? Et harum prima est naturalis, secunda libera, tertia media.* Et licet ipsi ejus auctores circa objectum inter se dissentiant, ut Becanus fatetur, non magna tamen dissensio illa est, & in ipsâ re satis conveniunt.

XIX. Nullum autem dubium est ex hac scientiâ originem traxisse gratiam congruam vocationis, Bellarmino & sociis tantopere prædicatam, qua statuunt, Deum temperamentum electorum accuratissimè ab æterno nosse & intueri, atque ideo eos gradus & motus gratiæ, & eo modo, loco ac tempore admetiri, quos & quibus prævidit

vidit menti atque ingenio eorum congruere, & ab iis admissum iri, in cæteris verò nonelectis non expectare illam temporis moram, sed adhibere illam gratiam eo tempore & cum iis gradibus ac circumstantiis, quo & quibus eos non consensuros novit, & gradum illum ob ipsorum pravitatem inefficacem fore non tantùm prævidit ab æterno, sed decrevit quoque, se velle loco ac tempore minus congruo adhibere, ut illi ad salutem, hi damnationem æternam infallibiliter perducerentur. Eadem scientiâ ad errores circa concordiam gratiæ & liberi arbitrii incrustandos abutuntur, quando docent, Deum ante omne decretum voluntatis suæ actuale, cognoscere, quid liberum arbitrium ex suâ sibi connata libertate acturum esset, si in talibus circumstantiis constitueretur, & tali excitatione moveretur; tum enim suppositâ hominis voluntate, cum omnibus ad agendum necessariis prærequisitis, Deum concursu generali cum hominis libero arbitrio, ex se & naturalibus suis viribus agente, tanquam causâ sociâ, ad unum numero effectum concurrere, & per decretum suum tam voluntatem hominum, quàm effectus omnes, bonos & malos prædeterminare. Alii, qui mitiores videri volunt, supponunt consensum liberum in nobis, tanquam prævisum à Deo per scientiam mediam, & Dei decretum, quo hominem auxilio efficaci movere velit, quo posito, ipsa voluntas & se & Deum ipsum determinatura sit ad volendum, vel non volendum. Ex eadem scientiâ mediâ, tanquam ex primâ radice infallibilitatem futuri consensus liberi arbitrii & certitudinem prædestinationis, quoad effectus, arcessunt. Cum enim prædeterminatio, quæ præscientiam determinantis liberi arbitrii, futuri ex hypothese, si in tali ordine constitueretur, antecedit, multùm libertati arbitrii præjudicet, ideò aliud fundamentum certitudinis adhibendum esse contendunt, illud nempe, quòd Deus, priusquam hominem per auxilia gratiæ moveat, præsciat certò & infallibiliter, quod sit consensurus, si constituatur in talibus circumstantiis, præsertim cùm non sit in facultate hominis conditionem illam ponere ac tollere, postquam semel liberè consensit, & Deus prævidit, ex eo igitur infallibilem consensum ac prædestinationem sequi.

xx. Verum enim verò scientiam istam Dominicani, Alvarez, Rispolis, Novaretus, Cumel & multi alii accerrimè exagitant, vocantes

cantes eam falsam novitatem, quam nullus ex patribus antiquis tradat, irrationabilem, inutilem, levisimam, improbabilem, merè figmentum, ex imaginario fundamento ortum, eamque his ferè argumentis impugnant. i. quod scientia Dei sufficienter dividatur in scientiam simplicis intelligentiæ & Visionis, quod ex Thoma probant. ii. quod inter ens & non-ens, cum contradictoriè opponantur, non detur medium, ergò nec inter objectum scientiæ visionis & simplicis intelligentiæ: nam objectum scientiæ visionis esse ens actu existens in aliquâ mensurâ, sive differentiâ temporis, simplicis intelligentiæ verò non-ens, seu quod non existit in aliquo temporis momento. iii. quod in nobis nulla detur media notitia inter intuitivam & abstractivam. iv. quod nulla appareat necessitas constituendi in Deo ante decretum voluntatis præscientiam cooperationis & boni usus arbitrii, futuri ex hypothese, nec enim necessariam aut utilem esse ad concordiam liberi arbitrii cum divinâ gratiâ & prædestinatione rectè explicandam, quæ sine illa optimè coherant, nec ad Pelagianismum evitandum, qui ea ratione stabiliatur potiùs, ac plenis velis in Ecclesiam invehatur. v. quod nec apud patres antiquos, nec ipsum etiam Thomam quicquam de eâ reperitur. Quibus octo adhuc alias Lud. Crocius Diss. vii. n. xx. & seqq. addit, easque refutat.

xxi. Longè acerbius autem & vehementius à Calvinistis impetitur, quibus passim audit *nuperum Jesuitarum inventum, à ratione alienissimum, novitiorum quorundam scholasticorum gloriola, novum hominum fanaticorum somnium, χθές ηγή πρῶτον excogitatum, Scripturæ sacræ & patribus & scholasticis ignotum, monstrum in extremas oras deportandum, évgenia illorum, qui Pelagianismum hoc modo incrustare, vires humani arbitrii nimium efferre, creatorem à creaturâ, causam primam à secundâ suspendere studio habuerunt, quæ convitia apud Twissum, Voetium, Triglandium, Spanhemium, Maccovium aliosque passim reperiuntur. Ideò autem tam impotenter in eam invehuntur, quod metuant, ne per eam Deus & decreta ejus à conditione creaturarû suspensa teneantur, semiplena deliberatio & sententia indeterminata ipsi affingatur, cognitio divina infinita à re finita, seu voluntate hominis determinetur, deniq; Pelagianismus, quo viribus humanis nimium tribuitur, incrustetur.*

D

xxii. Nobis

XXI. Nobis perinde est, utrum scientia illa futurorum contingentium ex hypothese, hoc an illo nomine appelletur, & vel eadem omninò dicatur cum scientia visionis ac simplicis intelligentiæ, vel tanquam tertia quædam species ab utraque distincta doctrinæ causâ constituatur: Sufficiat dicere, Deum non ea tantùm scire, quæ ipse facit aut fecit, aut absolutè futura vel non futura sunt, sed etiam, quæ positâ hac vel illâ conditione futura essent, aut ipse facere posset, si vellet. Ejus rei autem non pauca nec levia argumenta nobis suppetunt, ex Scripturâ sacrâ & aliunde deprompta. Certissimè enim vidit & futurum prædixit, si David Kehilæ subsisteret, ut Saul urbem obsideret & cives Davidem ei traderent, 1. Sam. xxii. 10. seqq. Ita Christus noverat Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos & conversos fuisse, si tanta miracula ibi patrata fuissent, quanta apud Bethsaidanos & Chorazinos facta sunt, Matth. xi. 21. Ita novit quoque, melius futurum Judæ fuisse, si nunquam natus fuisset, Matth. xxvi. 24. novit idem futurum, ut cum mundo damnaremur, nisi corripereur, 1. Cor. xi. 32. videt & novit multorum infantum intellectum perversum iri, nisi maturè ex vita evocarentur, Sap. iv. 11. Et si Deus propter infinitam suam perfectionem omnia novit, etiam ea, quæ positâ certâ conditione futura sunt, cognoscit: Si enim ullum objectum scibile dari posset, sive absolutè sive cum conditione futurum, quod Dei scientiam lateret, ille omniscius esse non posset.

XXII. Atque hæc ideò tam prolixè à nobis hoc loco disputantur, ne cum Calvinistis solam visionis scientiam statuamus, quæ unica rerum omnium causa sit, & actus voluntatis humanos, bonos ac malos, non tantùm prævideat, sed etiam per decretum efficax prædeterminet, & ut vera & orthodoxa de Prædestinatione doctrina tantò rectiùs intelligatur & explicetur; nam & hæc talem scientiam requirit. Tria enim præcipuè capita sunt, quæ Prædestinationem constituunt, præparatio nempe mediolorum, præscientia Dei conditionata, & accedens voluntas seu decretum. Decrevit quidem Deus homines salvare, non absolutè tamen, sed positâ certâ conditione, si pœnitentiam egerint, & Evangelio crediderint, atque in ea fide ad vitæ finem usque perseveraverint. Prævisio igitur objecti conditionati, utrum scilicet homines mediâ Deo ordinata adhibitori, an repudiatori sint, adhibenda est.

XXIV. Unde

XXIV. Unde nunc facile intelligitur, præscientiam non esse ipsam Prædestinationem, sed duo isthæc quàm longissimè à se invicem distare. Quod Formula Concord. Epit. p. 6. 7. & Rep. p. 798. diligenter observat, & accuratè observandum esse monet. Nos tantùm Epitom. verba ascribemus, quæ ita sonant: *Primum omnium est, quod accuratè observari oportet, discrimen esse inter Præscientiam & Prædestinationem, sive æternam electionem Dei. Præscientia enim Dei nihil aliud est, quàm quòd Deus omnia noverit, antequam fiunt, sicut scriptum est: Est Deus in cælo, revelans mysteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonosor, que ventura sunt in novissimis temporibus. Hæc Dei præscientia simul ad bonos & malos pertinet, sed interim non est causa mali, neque est causa peccati, que hominem ad scelus impellat. Peccatum enim ex Diabolo, & ex hominis pravâ & malâ voluntate oritur. Neque hæc Dei præscientia causa est, quòd homines pereant, hoc enim sibi ipsis imputare debent. Sed præscientia Dei disponit malum, & metas illi constituit, quousq; progredi & quamdiu durare debeat, idq; eo dirigit, ut licet per se malum sit, nihilominus electis Dei ad salutem cedat, Prædestinatio verò seu æterna Dei electio, tantùm ad bonos & dilectos filios Dei pertinet, & hæc est causa ipsorum salutis. Etenim eorum salutem procurat, & ea, que ad ipsam pertinent, disponit. Duplex ibi, ut patet, discrimen assignatur, quòd præscientia Dei ad creaturas omnes, bonas & malas se extendat, prædestinatio nonnisi ad filios Dei, illa mala prævideat, antequam fiant, non quòd velit Deus, ut fiant, hæc electorum salutem prævideat, nec tantùm præsciat, verùm etiam ipsam illam, & quæ ad eam pertinent, procurat, efficiat, juvet ac promoveat. Idq; tam clarum est, ut Apostolus ipse præscientiam à Prædestinatione distinguat, dicens, *Quos præscivit, eos etiam prædestinavit*, Rom. VIII. 29. & inductione omnium aliorum Scripturæ locorum, quæ de prævisione, prædestinatione, vaticiniis & cæteris actibus divinæ mentis agunt, constat, alios actus esse præscientiam, alios decreta, & illam pertinere ad intellectum, hæc ad voluntatem. Sicut verò intellectus per se nihil agit, nisi cognoscendo, ut ex Act. II. II. *Præscius locutus est de resurrectione Christi*, & Gal. III. 8. ita voluntas non aliter, quàm volendo, imperando & decernendo, quòd ab intellectu sibi propositum est, operatur. Neque à quoquam negari potest, qui recogitat, non tantùm*

diversa nomina utramq; sortiri, præscientia enim græcis *πρόγνωσις*, prædestinatio autem *πρόθεσις* & *προορισμός*, propositum & decretum dicitur, verumetiam diversa objecta, circa quæ occupata est: scientiæ objectum nusquam dicitur decretum divinum aut homines salvandi, nec prædestinationis prævisio, aut scibile, ut tale est, sed illius objectum immediatum & adæquatum, quod prævidit Deus, est sanctificatio Spiritus, ablutio per sanguinem Christi, fides & obedientia, quæ electis æque ac non-electis communia sunt, prædestinationis verò objectum solis electis proprium esse oportet. Denique præscientia ordine naturæ præcedit decretum, prius enim, secundum hominum captum, Deus objectum considerat, tum decernit, quid facere velit. Ut verbo dicam, Præscientia latius patet, quàm prædestinatio: illa enim ad res omnes se extendit, hæc non item, illa ordine naturæ præcedit, hæc sequitur, illa actus intellectus est, hæc voluntatis, illa absque hac, hæc absque illa esse non potest. Quod Augustinus quoque ostendit, cum lib. de Prædestin. Sanctior. scribit: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse factururus. Unde dictum est, fecit, quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Sed totum negotium Prosper Aquitanicus Resp. ad Object. xiv. Gallorum breviter complexus est. Cum enim illi præscientiam & prædestinationem Synonyma esse contenderent, ipse ita respondet: *Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorem, cooperatoremq; eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creature nequitiam referenda sint, dubium non est, sine ullâ tali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant iudicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatio autem sine præscientiâ esse non potest. Quæcunque igitur nominibus ac ordine prioris & posterioris, subjectis item & objectis differunt, Synonyma esse nequeunt.*

xxiv. Prædestinationis vox latina, & græca *ὁρισμός* ac *προορισμός* destinationem rei aut hominis ad certum finem notat, in negotio verò salutis adhibita nunquam in Scripturis sacris in malam partem usurpatur. Equidem Calviniani eam tam ad electos, quàm reprobos pertinere putant, & genus constituunt, cujus sint duæ species, Electio & Reprobatio, quarum hanc germanicè eine Zornwahl illam eine Gnadenwahl appellare solent, secuti hac in parte antiquos hæreticos, quos *Prædestinatos* Sigebertus ad annum Christi ccccxv. vocat, & docuisse tradit, *quod nec piè viventibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint, nec impiis obsit, quòd improbè vivant, si à Deo destinati fuerint ad vitam*: Et Gotheschalcum Monachum, qui & ipse libris editis duas prædestinationis species statuit, dicens: *sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam*, qui tamen in Synodo Moguntina anno Christi dcccxlvi. & post iterum Valentinâ anno dccccliv. damnatus est, uti Prædestinati, seu Prædestinatiani ante annos prope quadringentos in Concilio Arausicano II. cujus Canon xxv. ita habet: *Aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam, si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*. Quamquam autem patres nonnunquam vocem illam in utramvis partem usurpaverint, de quo multùm adversarii gloriantur, nec nos ignoramus aut infitias imus, pauci tamen illi sunt, & vix duo aut tres, cum cæteri in omnia contraria discedant, nec quenquam ad malum culpæ seu peccatum prædestinatum dicunt, quod Calviniani facere solent, sed ad malum pœnæ tantùm, & quod caput rei est, in Scripturis sacris nunquam in eâ significatione usurpata legitur: nec adversarii hætenus ullum ejus exemplum afferre potuerunt. Ipse quoque Augustinus, qui Calvinianis favere creditur, frequentius ac libentius in meliorem partem & ita accipit, ut ad solos electos, seu, ut ipse vocat, sanctos pertinere dicat. Loca ejus magno studio Danæus Comment. in Enchir. cap. xcvi. collegit. Estque res adeò certa & liquida, ut Keckerman. ipse, magnus alioquin absoluti decreti patronus, non tantùm in hanc Augustini, quæ nostra etiam est, sententiam ultrò concedat, sed eam quoque multis argumentis stabiliat, quod videlicet prædestinatio sit ordinatio rei ad

finem, finis autem suâ naturâ optimum quid, & rei perfectio sit, quòd prædestinatio & electio ad vitam æternam æquipollean, & Rom. viii. prædestinati glorificari dicantur, reprobis non item, & Eph. i. 5. 6. prædestinatio facta sit in adoptionem filiorum & laudem gloriæ gratiæ suæ, cum reprobis nulla sit adoptio, quod item electio & reprobatio sub uno genere proximo contineri nequeant, quia sint pugnantia, denique Scriptura ipsa utatur vocabulo *τῆς ζωῆς*, Act. xiii. 48. ordo autem & bonum convertantur, & ordinatio propriè sit ad bonum. Unicam igitur nobiscum prædestinationem agnoscit, quæ sit credentium ad vitam æternam.

xxvi. Cùm verò Scriptura sacra quos prædestinatos appellat, eosdem quoque electos dicat, sine ullâ differentia, patet, prædestinationis & electionis voces æquè latè patere, tale certè discrimen non intercedere, ut prædestinatio ab æterno facta, electio verò in tempore fieri perhibeatur, & prædestinati quidem ad salutem omnes homines statuuntur, non omnes autem ad eandem electi: Id enim Scripturæ sacre manifestò adversatur, quæ nos electos ait in Christo, antequam ponerentur fundamenta mundi, & Concordiæ liber utramque vocem promiscuè usurpat, ac nonnunquam velut Synonyma conjungit, utramque etiam non quidem ad bonos & malos simul, sed ad solos filios Dei pertinere dicit. Quod si tamen aliquod, licet non magnum adeò, inter eas discrimen statuere placet, id tale fortè fuerit, quod electio dicat segregationem fidelium ab infidelibus, & relationem quandam connotet ad oppositum seu damnatos, è quibus ceteri deliguntur, prædestinatio verò respiciat terminum, qui est vita æterna, nulla cum aliis, qui non prædestinantur, comparatione institutâ; illa ratione ordinis in mente divina præcedat, hæc sequatur, prius enim eliguntur credituri, quàm ad vitam æternam destinantur. Electio quoque simpliciter circa homines, prædestinatio circa media quoque occupata videtur: nec enim hæc eliguntur, sed à Deo pro beneplacito ordinata hominibus proponuntur, ut, qui ea admittunt, vitæ æternæ participes reddantur.

xxvii. Non minus frequenter Voluntatis, Propositi & Decreti mentio fit in hac ipsâ doctrinâ, quæ quidem promiscuè nonnunquam usurpantur, non tamen prorsus eadem sunt, si rectè considerentur: Decretum enim ultimus quasi gradus est, quo ea, quæ volumus,

lumus, & nobis proponimus, effectum sortiuntur. Hoc ordine igitur in Deo, non quidem reapse, sed juxta nostrum captum, se invicem sequuntur: Primò vult Deus, seu cupit ea, quæ nobis sunt salutaria, deinde proponit ac statuit certa media, quibus finem consequi possit, ac demum decernit. Voluntatem quod spectat, sine dubio Deo inest, quia enim tale quid in nobis deprehendimus, cur Deo denegare velimus? Præcipuè cum perfectio quædam sit, omnes autem perfectiones ipsi secundum eminentiam tribuendæ. Certum illud quoque est, ab essentiâ divina realiter non distingvi, ac proinde, neque creatam esse, nec initium aut finem habere, nihil quoque ei mutationis ac novitatis inesse, hoc an illud, hoc an alio modo velit. Si qua enim mutatio fieret, ut cum mundum in tempore creare voluit, mutatio illa non in Deo aut voluntate ejus, sed in creaturis est, quæ mutationis capaces sunt, & à non esse ad esse procedunt.

xxviii. Etsi autem voluntas Dei in se una sit & simplicissima. Theologi tamen eam, sicut scientiam, ratione objectorum, seu ab influxu in res creatas distingvere solent in Absolutam & Conditionatam seu ordinatam. Illam vocant, quâ Deus absolutè aliquid vult, & voluntati jungit potentiam absolutam, uti sunt Creatio mundi, ejusque consummatio, extremum judicium, missio & incarnatio Filii, quæ absolutè facta & futura sunt, sive credant homines, sive non credant. Et si hoc modo voluisset homines salvare, nemo damnaretur, nam *voluntati ejus quis resistet?* ait Apostolus Rom. ix. 19. Conditionata est, quâ ad certum ordinem se demisit, & vult aliquid, non absolutè, sed certâ conditione, quâ positâ, illa efficax est, suspensâ verò, in actum non deducitur. Sic vult hominum vitam corporalem servare, sed adhibitis mediis ad servandam vitam necessariis, quibus deficientibus non servat. Hæc rursus in voluntatem Antecedentem & Consequentem distingvitur, non quod una alterâ tempore prior aut posterior sit, una enim Dei voluntas est, si in se spectetur, eaque semper sibi constans, sed ratione objectorum, circa quæ illa versatur, quæ ut diversa sunt, & alia aliis sive ordine, sive tempore priora aut posteriora, ita voluntati, dum circa ea occupata est, diversam denominationem tribuunt. Quemadmodum creatio, lapsus, missio filii decretum prædestinationis

tionis

tionis præcedunt. Antecedens est, qua aliquid vult secundum se, priusquam objectum volitum in alterutram partem determinatum consideretur, sic, quantum in se est, omnes homines ex æquo vult salvari, omnibusque media ordinavit, quibus ex miseriâ eluctari possent, si vellent. Consequens verò, quâ aliquid vult, non secundum se, sed prout conditio à quibusdam, virtute gratiæ, impletur, ab aliis non impletur, & homines alii ut obsequentes, alii ut pertinaces considerantur, eatenus enim hos damnare, illos salvare decrevit. Utraque ergò conditionata est, illa quidem, quod neminem absolutè, quia sic placet, vel sine omni lege, sed certo ordine omnes Deus vult salvari; hæc, quia eos tantum, qui ordinem divinitus præscriptum observant, salvari, qui obsequium detrectant, damnari constituit.

xxvix. Atque hæc est illa tantopere à patribus antiquis Chrysostomo, Theophylacto, Damasceno commendata, à Calvinistis autem Molinæo, Chamiero, Altingio, Wendelino, impugnata distinctio Voluntatis divinæ in Antecedentem & consequentem, nullam aliam ob causam, quam quia decreto absoluto refragatur. Ne tamen ipsi eam absolutâ voluntate, quia ita placet, rejicere velle videantur, frivolas & nescio quas absurdas rationes excogitarunt, eo pacto scilicet duas voluntates introduci, quarum una alteri sit adversa & posterior priorem corrigat, nam per antecedentem cupere Deum omnes homines salvos, quod per consequentem non vult: Deum quoque suspensum & incertum teneri, qualis sit futurus cujusque exitus, & utrum conditio impleatur, vel infringatur. Verum enim verò nulla inter isthæc pugna vel oppositio locum habet, quia volitiones illæ, ut ita loquar, circa idem objectum, eadem ratione eodemque modo sumptum, non versatur, nec voluntas Dei unum & idem subjectum, eodem modo consideratum velle & non velle dicitur. Occupata quidem est tam antecedens, quam consequens, circa homines, sed diverso modo, illa, quatenus media constituit & ordinat, hæc, quatenus ab hominibus admittuntur, vel repudiantur, illa objectum considerat ante purificatam conditionem, hæc idem ut hac vel illa conditione affectum: Juxta illam Deus vult omnes homines servari, sed sub conditione, juxta hanc illos tantum, qui conditionem ope gratiæ divinæ adimplent.

plent. Neque verò metuendum est, ne Deus hac ratione dubius maneat, & expectare debeat, quid singulis futurum sit, aliàs enim eodem modo de hominis lapsu dicendum fuerit, Deum proponendo protoplastis legem, pependisse incertum, donec ea impleta vel non impleta fuerit, idem etiam de justificatione, quam conditionatam esse adversarii ipsi fatentur, statuendum. Non opus autem est fingere Deum in æternitate dubium, cui omnia ea, quæ in tempore fiunt, & non tantùm creaturæ ipsæ, sed earum quoque conditiones, qualitates & operationes ab æterno cognitæ & perspectæ fuerunt.

xxx. Propositum Dei voluntati aliquid rationis addit, & dicit actum, quo Deus non tantùm desiderat & intendit aliquid, sed id quoque certis mediis in effectum deducere gestit, & quod ille sibi in animo suo ita proponit, id facit quoque. A Thoma II. II. q. LXXXVIII. art. I. definitur *actus voluntatis deliberata*, seu, quod idem est, *deliberata voluntas*. Vocatur autem in Scripturis *εὐδοκία* & *εὐδοκία τῆς θελήματος*, *beneplacitum voluntatis*, item *προβούσις*, *propositum*. Quia verò indefinitè ponitur, nec quale illud sit, apertis verbis indicatur, ideò οἱ ἀντιπίπλοντες absolutum vocant, quod nec ex operibus, nec fide, nec aliunde denique, tanquam causâ Deum in arcano voluntatis suæ consilio ad eligendos homines ad æternam salutem movente, sed à mera Dei volūtate & *εὐδοκία* pendeat. Et opera quidem à negotio tùm Electionis, tùm justificationis & glorificationis excludi atque hac ratione propositum Dei absolutum esse ex totâ Scriptura, præcipuè vero Rom. IX. 12. *Non ex operibus, sed ex vocante*, v. 16. *Non est volentis, neque currentis*, II. Tim. I. 9. *salvos fecit nos, & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra*, & multis aliis locis, apertè constat: Fidem autem in Christum defixam, seu potius Christum cum merito suo fide apprehensum non excludi, sed præcipuum locum obtinere tùm in proposito, tùm beneplacito divino, itidem facilè probatur, & de proposito quidem ex eo patet, quia illud in Christo & per Christum factum esse dicitur Eph. I. II. *per Christum in sortem asciti sumus, prædestinati secundum propositum ipsius*. Hunc Deus nobis proposuit *propitiationem & fidem in ipsius sanguinem*, Rom. III. 3. Quod propositum autem in Christo fundatum est & fidei intuitum conjun-

E

ctum

etum habet, nequaquam absolutum, sed conditionatum dici debet. Unde ibidem v. 12. qui juxta propositum illud electi sunt, *sperantes in Christo* appellantur. Sperare autem in Scripturis non rarò credere est, I. Tim. iv. 10. II. Thess. II. 16. Psal. II. ult. Psal. xxii. 6. atque alibi passim. Idem etiam propositum *gratia* dicitur, *que data est nobis per Christum ante tempora secularia*, II. Timoth. I. 9. Et quid tandem voluntas Dei sit, aut quid Deus animo suo circa nostram salutem proposuerit, ex Joh. vi. 40. apertè liquet, cum Christus ipse ait: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Beneplacitum item Dei erga nos quale sit, ipsemet indicat, cum de cælo clamat, *Tu es filius meus dilectus, in quo complacitum mihi est*, Matth. III. 17. & cap. xvii. hoc est, te solum tenerrimo amore complector, adeò ut præter te nemo mihi placeat, nisi per te. Et *sine fide nemo omnium Deo placere potest*, ut Apostolus ait, Hebr. xi. 6. Si ergo sunt, qui Christum ignorant, aut per incredulitatem beneficia ejus amplecti nolunt, quò Deo placere, aut beneplacitum illud factum tectum tenere possint? Et sicut Deus propositum ac beneplacitum suum in tempore exercet, eoque nos ad salutem adducit, sic ante tempora de eo nobis exhibendo, & nos ad salutem adducendis constituit: nullum enim dubium est, quin ita Deus in tempore agat, sicut ab æterno agere decrevit. In tempore autem neminem absolutè, & sine intuitu in Christum justificare & salvare proposuit, itaque certum est, nec ab æterno id fecisse.

xxxI. Tale itaque propositum & beneplacitum Dei est, videlicet non absolutum, & sine ullo meritorum Christi intuitu factum, sed ordinatum & in Christo fundatum, sicut decretum ipsum. Non idem tamen plane est propositum, quod decretum. Illud enim est veluti regula quædam, quam Deus in eligendis hominibus sibi statuit, unde prædestinati dicimur *juxta beneplacitum voluntatis, & secundum propositum ipsius*, Eph. I. 5. II. Si ergò idem esset propositum, quod decretum, verba Apostoli, *Prædestinavit nos juxta beneplacitum voluntatis sue*, hunc sensum redderent, prædestinavit nos juxta prædestinationem suam, quo nihil ineptius foret. Propositum antecedit decretum, tanquam actus præcedaneus & pars prædestinationis, pertinet enim ad voluntatem antecedentem, juxta quam Deus
omnes

omnes homines salvare, omnibus Servatorem mittere, ac fidem gratificari statuit: Decretum autem ad consequentem, quâ consideratis omnibus circumstantiis Deus non omnibus, sed iis tantum, qui ordini divinitus sancito morem gerunt, & ex præscripto voluntatis ejus vitam actionesque instituunt, præmium ac veluti coronam in ultimo vitæ ac curriculi termino immobili æternoque decreto repræsentat. Unde propositum finem non semper quidem assequitur, cum multa sint, quæ consilium intervertere valeant, decretum tamen nunquam non expletur. Quod enim semel Deus positis conditionibus, iisque purificatis, & de hominibus quibusdam affirmatis, de aliis negatis decrevit, id reapse præstat, decretum igitur hoc, seu voluntas consequens, quoad infallibilitatem seu certitudinem eventus, absolutæ æquipollet. Atque hæc illa series est, quâ Deus in formando, stabiliendoque decreto suo de æternâ hominum salute utitur, primò enim omnia præsens intuetur, deinde unamquam rem, præcipuè verò creaturam rationalem ad finem suum, imprimis supernaturalem ordinat, tum ad eum per certa media assequendum totam mentis aciem & conatum intendit, ac tandem positis & in actum deductis omnibus conditionibus, certò id, quod sibi proposuit, futurum decernit. Nunc, quæ decreti hujus causæ sint, ordine indicabimus.

CAP. II.

De

Causâ efficiente principali & meritoria.

XXXII.

Primum ac summum totius salutis nostræ principium, unde beneficia omnia, velut ex copiosissimo quodam fonte, in totum genus humanum promanant, est gratia & misericordia divina, quâ Deus opt. max. hominum in peccatum prolapsorum misertus, ne æternum perirent, subvenire, & modum mediumque excogitare, qua in gratiam reciperentur, sustinuit. Hæc enim in Scripturis passim commendatur. Exod. xxxiv. 6. *Dominator Domine, Deus misericors, & clemens & patiens, & multæ miserationis ac verus, qui*

E 2

custodis

austodis misericordiam in millia, qui auferens iniquitatem, & scelera atque peccata. Thren. III. 22. Misericordie Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus, novæ sunt diluculo, multa est fides tua. Mich. VII. 20. Quis similis tui, qui auferens iniquitatem & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Luc. I. 78. Per viscera misericordie Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Eph. II. 4. Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos. Atque alibi sæpius, ubi ex gratia vocari, justificari, salvari & glorificari dicimur.

XXXIII. Qualis verò illa Dei erga nos benevolentia atque dilectio sit, quousque se extendat, & quo pacto circa hominum salutem occupata sit, explicandum est. Ubi id primò omnium notetur, diversos aut distinctos actus & gradus ejus esse; nam aliter & majori gradu sine omni dubio diligit homines, quàm ceteras creaturas irracionales & inanimatas, & alio rursus homines omnes, alio denique electos, quos diligit in dilecto, & ita quidem, ut æternæ beatitudinis secum participes reddat. Quanquam enim omnia in Deo *causa* sint, & idem quid cū essenti à divinâ, nihil tamen obstat, quo minus nostro intelligendi modo, in signo rationis, ut vocant, ratione objectorum, circa quæ versatur, aliquam distinctionem ponamus, & alium Dei amorem dicamus generalem, alium specialem, & tertium denique specialissimum. Ut enim creatura creaturæ præstat, & inter homines ipsos alii aliis feliciore & ad capeffendas disciplinas aptiori indole præditi sunt, ac consequenter majore amore prosequendi, ita, quanquam benevolentia Dei ad omnes omninò homines spectet, haud ineptè tamen statuitur, ratione graduum in alios præ cæteris propensiori affectu ferri. Certè Scriptura ipsa universalem Dei misericordiam erga omnes homines à paternâ ejus misericordia erga filios apertè distingvit, Rom. XI. 32. & Psal. CIII. 13. sicut Christi universalem satisfactionem omnibus destinatam, à particulari ejus dilectione & meritorum effectu electis exhibito. *Ipsè est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, Johannes ait I. Epist. II. 2. Et Paulus Apostolus I. Tim. IV. 10. Ipsè est Servator omnium hominum, maxime fidelium.* Augustinus quoque duas quasi gratiæ species constituit, naturalem, unam.

unam, homini, quatenus ratione & intelligentiâ præditus est, convenientem, & ad naturæ consentaneum finem dirigentem, alteram communi naturâ majorem, & præstantiorem, quam supernaturalem appellare liceat. Ita enim Serm. xi. de Verbis Apostoli scribit: *Excepta illa gratia, quâ condita est humana natura (hæc enim Christianis paganisque communis est) hæc est major gratia, non quod per Verbum homines creati sumus, sed quod per verbum carnem factum fideles facti sumus.* Gratiam igitur creatricem à supernaturali rectè distingvit, neque enim eadem sunt; nam illa creaturis omnibus communis est, hæc solum hominem, eumque in miseriam prolapsum respicit, & ad futuram felicitatem digitum intendit. Illam Deus satis testatam reddidit, cum hominem ad imaginem suam condidit, & non tantùm præclarâ rerum omnium ad vitam rectè transigendam necessariâ scientia, sed justitiâ quoque & sanctitate aliisque adminiculis, ut Deum diligere, & præscriptam atque propositam sibi legem exactè servare, & per ejus observantiam ad perfectè beatam æternamque felicitatem pervenire posset, instruxit. Quæ dotes non soli Adamo, seu, ut ipse solus eas haberet, sed toti ejus posteritati per eum propagandæ, si in statu integritatis perstitisset, concessæ fuerunt, eum in finem, ut, quamdiu in his terris degerent, summâ felicitate, paulò post verò, quando Deo visum esse, ad æternam & cœlestem beatitudinem transferrentur. Neminem itaque Deus, qui summè bonus, imò & bonitas ipsa est, & à quo non nisi bona oriri possunt, ad exitium creavit, aut creare potuit. *Vidit enim cuncta, quæ fecerat, & ecce erant bona valde, Gen. I. 71. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti, sapiens ait c. XI. 25.*

xxxiv. Verùm hîc non de eâ, quæ ex naturæ debito nobis obtingit, & ordinario modo se gerit, sed alia eaque supernaturali Dei gratiâ, quæ lapsum hominis sequitur, eumque supponit, agitur. Cum enim Deus quem nihil omnium latet, ab æterno prævidisset, hominem in integritate non diu perstiturum, sed mandatum suum transgressurum, ac sibi posterisque omnibus mortem & exitium attracturum esse, pro misericordia suâ, quâ erga totum genus humanum flagrat, ne perpetuo pessum iret, omnem operam dare constituit. Itaque miseriam eorum, quos jure suo æternis suppliciis afficere

poterat, permotus, non tantum non irasci amplius, sed etiam pati voluit, si quis medium se interponere, & justitiæ suæ, quæ majorem in modum læsa erat, satisfacere posset aut vellet, quin ipsemet perditis & æterno exitio devotis remedium afferre & Filium suum unigenitum, qui eos in pristinum statum reduceret, mittere statuit. Ita enim *miserendi* vox de Deo in Scripturis usurpata capitur, ut non tantum animi compassionem quandam de alienâ miseriâ significet, sicut tyrannos nonnunquam miseret reorum, qui cruciatus ingentes sustinent, etsi iis subvenire nolint, & Pilatus dicebat, *Ecce homo*; nec solam & nudam complacentiam, quâ quis alienâ felicitate delectatur, & si eam proprio studio ingenioque assequi possit, approbat, sed etiam benevolam propensionem & conatum, ut mediis omnibus æternis suppliciis, quibus obnoxii rei erant, subducerentur. Tali misericordiâ Deus erga Diabolos & angelos lapsos non afficitur, quos æternis cruciatibus, sine ullâ spe veniæ, ob causas nobis non satis cognitâs, addixit. Nec de injuriâ Creatoris quisquam hominum conqueri jure potuisset, si æquè ac illi in miseriâ & damnatione, in quam se sponte suâ præcipitaverant, omnes relictî fuissent. Et sanè de impetrandâ veniâ nihil sibi polliceri, aut ingenio suo, in isto præsertim culpæ ac miseriæ statu, assequi poterant, quod Deus misereri, quos item & quâ ratione in gratiam recipere vellet, quin desperandum potius fuisset, præsertim si angelorum lapsorum exemplum ante oculos sibi ponerent. Sed præter omnem spem atque expectationem apparuit misericors Dominus, longanimus & multus benignitate verè *ἀπο μηχανῆς*, & non tantum eorum misereri, verum etiam, cum nullum remedium hominibus suppeteret, de suo sufficere constituit.

xxxv. Hæc autem benevolentia Dei ad homines omnes, nemine excepto diffunditur, nec quisquam sive ex odio, sive nudo beneplacito, sive aliâ de causâ ab eadem excluditur. *Conclufit enim omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur*, Rom. xi. 32. *Non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, II. Pet. iii. 9. *Deus non constituit nos ad iram, sed ad salutis acquisitionem*, I. Thess. v. 9. Quibus gemina infinita fermè Scripturarum utriusque Testamenti loca passim reperiuntur, quibus fidem facit Deus, se nihil eorum, quæ creavit, odisse, non esse voluntatis suæ ac beneplaciti interi-

tum

sum & damnationem aeternâ morte pereuntium, & salvos omnes vehementer cupere: cum verò omnium misereri, omnesque salvos fieri vult, neminem utique excipit, quoniam nulla excipiendi causa afferri potest. Quocirca sacrilegam prorsus & blasphemam esse oportet eorum sententiam, qui universo orbe audiente, voce quantum possunt, contentissimâ clamant: *Hoc dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut voliturus sit Deus singulorum misereri*, ut Beza part. II. Resp. ad Colloq. Mompelg. scribit, & Rennecherus de Prædest. *Illi, qui Deum omnium misereri, & singulos salvari velle sibi imaginantur, toto cælo errant, & magnum peccatum admittunt.* Eo pacto verò Paulo Apostolo, quin ipsi etiam Spiritui sancto, cujus inspiratione ac impulsu ille scripsit, error toto cælo latè patens, & quod horret animus, peccatum, nec leve tamen, sed magnum impingetur: Deum enim omnium velle misereri scribit, sicut omnes sub incredulitatem conclusit. Si excipiat^r i. Deum idèò dici concludere homines sub incredulitatem, quia velit & impellat homines ad peccatum, respondetur, concludere aliquem sub peccatum, non idem esse, ac cogere seu impellere quenquam ad id perpetrandum, sed denunciare, accusare & sententiâ judicis declarare eum peccato obnoxium esse, sicut etiam Gal. III. 22. Scriptura omnia sub peccatum concludere dicitur, quæ tamen neque vult peccata, nec quenquam ad ea impellit. Si regerant, *Omnes*, non esse idem, quod singulos atque universos, sed solos electos, ex gentibus ac Judæis congregatos, quemadmodum Tossanus exponit: *Deus tam Judæos, quam gentiles permisit cadere in peccatum & inobedientiam, ut suo tempore omnium electorum ex Judæis & gentilibus misereatur.* Quem Beza, Piscator, Paræus, Polanus, Altingius sequuntur. Verùm his omnibus novum prorsus, & à communi hominum sensu omniumque populorum sermone alienum lexicon in promptu fuisse oportet, in quo *omnes* idem sit, quod *non omnes*, & *volo* sit *non volo*, item *omnium velle misereri*, significet *maximam partem velle damnare*, *amare* sit *odisse & irasci*, *præscire* sit *statuere, decernere, & præscientia prædestinatio.* Ipse verò Apostolus satis indicat, qui per omnes intelligantur, & quorum Deus misereri velit, ut aliâ glossâ non sit opus. Nam particula *omnis* non alio sensu in posteriori membro capienda est, quàm priori accipieba-

accipiebatur, cum omnes peccato obnoxii ostenduntur. Peccatum autem non ad paucos, qui electi dicantur, sed ad omnes in universum homines se penetravit, omnes enim declinaverunt, Rom. III. 12. cap. v. 12. Unde ita argumentor: Quos Deus sub incredulitate conclusos tenet, eorum omnium vult misereri. Atqui omnes omninò homines, ne unico quidem, nisi solo Christo excepto, Judæos pariter ac gentes, electos & reprobos sub peccato conclusos tenet. Omniū igitur vult misereri. Quod si verò omninò Deum non omnium velle misereri dicamus, æquè rectè statuendum fuerit non omnes peccato inquinatos esse, quod falsum est. Potius itaque neminem à generali Dei benevolentia & misericordia intelligamus exceptum.

xxxvi. Hæc ipsa tamen Dei misericordia ab omni conditione præcedaneâ absoluta est, nec à Christi merito aut fide, vel ullis hominum meritis dependet, sed à solo Deo primò omnium sibi proposita est, quia sic illi placet. Ecquis enim cogere eum, aut ullo suo merito ac dignitate ad miserandum permovere potuisset, si ipse noluisset? Nos priores ipsum non dileximus, sed ipse dilexit nos, cum adhuc inimici essemus, in quo illustriorem & admiratione digniorem, charitatem suam nobis reddidit, quòd tantum beneficium nihil boni meritis, sed mali insuper plurimum habentibus exhibuit, Rom. v. v. 8. Sicut autem nostra merita hîc locum non habent, ita nec Christi intercessio ac satisfactio considerari debet, nam misericordia hæc Dei, juxta nostrum concipiendi modum, extitit ante interventionem mediatoris, quæ cum aliis beneficiis ad salutem nostram procurandam ordinatis illâ posterior est, & ab eâ tanquam effectus à suâ causâ dependent. Quod luculenter Christus ipse comprobatur Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et Apostolus Gal. III. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* 1. Joh. IV. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod Filium suum unigenitum misit in mundum.* Etsi enim & Christo suæ partes in eo negotio haud postremæ tribuendæ sunt, id tamen eatenus tantum fit, quatenus est unus & verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, & hoc pacto eadem erga nos misericordia tangitur, ut Mediator tamen est, in puncto rationis, hanc Dei dilectionem sequitur, & ab eâ ad hoc officium fuit destinatus. Tandem ne quidem à fide, seu

seu ullâ conditione à nobis præstandâ pendet: neque enim dilexit nos Deus, si credamus, sed ut credamus. Unde manifestò liquet, hunc primum gratiæ gradum initium statuendum esse nostræ reparationis, sed absolutum conditionisque expertem, & ante Christi meritum ac interventionem consideratum. Et sanè statuendum omninò est primum aliquod principium in ordine caussarum, in quo tandem subsistendum sit, & à quo cæt era beneficia omnia ad reconciliationem hominis cum Deo ullo modo spectantia, ipsum verò à nullo alio dependeat, ne in infinitum progrediamur.

xxxvii. Non parùm verò hac in parte hallucinantur Calvinistæ, cum Deum non tantùm absolutè quorundam misereri, sed eosdem etiam sine ullâ prævisione fidei & malorum meritorum, alios ad gloriam prædestinasse dicunt, ut in iis bonitatem suam ostenderet, alios, & quidem longè plures, ad pœnam æternamque damnationem destinasse, ut in illis justitiam ac severitatem suam experiretur, vel ut Palatini in Synodo p. 609. loquuntur: *Causa electionis & beneplacitum, quo nemini quicquam debens, liberrimâ voluntate ac gratiâ hujus præ illo misereri, in Christo servandi, hunc præ illo infide & sanctitate ad salutem donare decrevit.* Et p. seq. *Fides in Christum, obedientia fidei & in utraque perseverantia fructus & effectus sunt electionis, electorum proprii.* Item Hasfiaci p. 420. *Decretum electionis ad vitam æternam tria complectitur: Primo Propositum Dei certarum quarundam singularium personarum ex lapsu genere humano, quarum numerus soli Deo notus est, pro benevolo affectu voluntatis sue, in laudem gloriose sue gratiæ, miserendi, easq; è communi miseriâ, in quam sese precipites egerant, eripiendi.* Errant, inquam, errorem non levem; ut enim de eo nihil nunc dicam, quod benevolum Dei affectum ad paucos homines restringant, & merita Christi prorsus excludant, id tamen ferendum non est, quod primum gratiæ gradum, cum altero ac tertio confundant, & unum illum totum prædestinationis negotium conficere contendant. Neque enim generalis illa Dei benevolentia & voluntas miserendi hominum in peccata prolapsorum decretum illud est, quod prædestinationem vocamus, nec ad illud intrinsecè constituendum, ut quidem nos intelligentia capere illa possumus, pertinet, sed in mente divinâ ratione ordinis præcedit, & causa est decreti conditionati, quod Deus de homi-

nibus omnibus per Filium suum redimendis, omnibus ut in eum credant, vocandis, & quantum in se est, mediante fide, salvandis constituit. Atque in hoc posteriori omnino Christum mediatorem, & fidem in eum defixam intercedere oportet: Ut enim sine fide nemo hominum Deo gratus est, ita nec media à Deo ad salutem nostram decreta sine Christo salutaria esse possunt.

xxxviii. Huic nunc alter gradus succedit, quo Deus, supposito lapsu, pro immensâ suâ misericordia, porrò statuit, non tantum eripere homines ex illâ miseriâ, verum etiam media, quibus felicitatis æternæ participes reddi queant, ordinavit, & conferre omnibus decrevit. Quâ in parte Christus, ejusque opera tum satisfactoria, tum expiatoria & meritoria primum sibi locum meritò vendicant. Is enim intercessione suâ partim eblandiri hunc propiorum misericordiæ gradum, partim etiam pro culpâ & poenâ satisfacere, ne homines ipsi pro iis sive in hoc, sive in futuro seculo luere debeant, & viam aditumque ad beatam vitam, quâ ejecti eramus, recludere, & ex suâ parte, actu conferre sustinuit. Neque enim quenquam Deus sine Christo, aut aliter, quàm per & propter ipsum ad vitam eligere, vocare, justificare aut salvare decrevit. Unde in ipso benedicti, reconciliati, electi atque in filios adoptati sumus, Eph. 1. 3. seqq. Et II. Cor. v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* II. Thess. II. 13. *Deus elegit nos ab initio in salutem per sanctificationem Spiritus ac fidem veritatis.* II. Tim. I. 9. *Salvos nos fecit, & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.*

xxxix. Res autem ita habet. Cùm primi parentes in paradiso legem divinam transgredierentur, non tantum justitiâ & sanctitate primavâ è vestigio mulctati sunt, sed etiam mala omnia, & ipsam adeò mortem, temporalem atque æternam, sibi consciverunt, non minus ac Diaboli, si Deus jure suo uti voluisset, sine omni spe veniæ abjiciendi. Quia verò Deus misericors pariter atque justissimus, dictorumque suorum observantissimus est, benignitatem quidem suam erga genus humanum exercere placuit, sed ita tamen ut justitia quoque & veritas facta tecta manerent. Dixit enim Adamo, *Quocumque die comederis, morte morieris.* Et quia justitia infinita

tâm

tam enormiter laesa erat, pro tantâ culpâ poenam severissimam exigebat, & talem quidem, quæ infinita erat, nam mortem æternam oppetere necessum erat, aut poenis in æternum duraturis æquipol-
lebat. Hanc autem nulla creatura finita præstare, ac ne quidem omnibus ingenii nervis adhibitis modum excogitare poterat, quo infinitæ justitiæ satisfieri & ipsi à damnatione liberari quirent. *Solus* autem Deus, cogitabat cogitationes pacis, cum afflictionis plena omnia viderentur, ait Bernh. Serm. i. in Annunc. Dom. Solus ipse pro admirabili sapientiâ sua, junctâ misericordiâ, modum humanæ menti propius impervestigabilem suppeditavit, ac servare decrevit, ut misericordia quidem munus suum exerceret, ne tamen interim justitia ac veritas divina labefactarentur. Quâ de re Bernhardus eopse loco misericordiam & veritatem quasi contendentes invicem, & Filium consilium subministrantem, patrem verò modum reconciliationis approbantem per prosopopœiam introducit. Non omnia tamen verba, quæ pluscula sunt, sed summa saltem capita recensebo. *Gravis quaedam inter virtutes videtur orta contentio. Si quidem veritas & justitia miserum affligebant, pax & misericordia Zeli hujus expertes judicabant magis esse parcendum. Non cessabat pax, non ei misericordia dabat silentium. Interpellantibus tale dicitur dedisse responsum: Usquequo preces vestrae? debitor sum & sororibus vestris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in nationibus justitiæ & veritati. Vocentur & veniant, & super hoc verbo pariter conferamus. Summa controversia totius hæc fuisse videtur: Eget miseratione creatura rationalis, ait misericordia, quoniam misera facta est, & miserabilis valdè. Econtra veritas, oportet, inquit, impleri sermonem, quem locutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est, cum omnibus, qui in eo erant, quo die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo, ait misericordia, ut quid me genuisti, pater, citius perituram? scit enim veritas ipsa, quoniam misericordia tua perit, ut nulla est, si non aliquando miserearis. Similiter autem è contrario & illa loquebatur: Quis enim nesciat, quod si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, perit, nec permanebit jam in æternum veritas tua Domine?* Et post multa ultrò citroque, etiam coram Salomone seu Filio, qui judex sedebat, commutata verba, tandem ipsum pronunciasse sententiam ait: *Fiat mors bona, & ha-*

bet utraque quod petit. Sed id quomodo fiet? inquit. Fieri, ait, potest, si ex charitate moriatur quis, utique qui nihil debeat mori. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito, sed ex voluntate, non ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit veritas orbem terra, & misericordia caelum omne perlustrat. Redeunt ad constitutum diem veritas & misericordia, anxia plurimum, non invento, quod desiderabant. Tunc verò seorsim pax consolans eas, Vos, inquit, nescitis quicquam, nec cognitis. Non est, qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Tunc justitia & pax osculatae sunt, quae non modicè videbantur hactenus disfidere. Hoc jam admirabile illud justitiae ac misericordiae temperamentum est, cuius summa in eo consistit, moriatur justus pro injustis, & utrique, justitiae pariter ac misericordiae satisfiet, justitiae quidem & quae eam comitatur, v. r. acitati, dum poenae peccatis nostris debitae ea morte, quae ob personae infinitatem infiniti fuit pretii, persolutae sunt, misericordiae verò dum satisfactio alterius pro nostris debitis, ut nos à poenâ illâ immunes essemus, surrogata & accepta fuit ab eo, qui aliàs in salutem nostram omni vi ac conatu nitabatur.

XL. Hoc pacto itaque per misericordiam divinam temperata & mitigata fuit justitia divina, & poena pro alienis delictis exoluta à filio Dei habita ac imputata est, ac si delinquentes ipsi exolvissent. Quia verò Christi meritum, cum alienum sit, & extra homines positum, nemini profuturum erat, nisi acceptaretur, & proprium quasi efficeretur, ideò ad apprehendendum fide opus est, tanquam medio, quo iis, quae proponuntur, assensus praebetur, & meritum Christi, tanquam bonum aliquod nostri causâ ordinatum plenâ cordis fiducia recipitur, nobisque ita appropriatur, ut reapse fruamur. Hanc enim conditionem consequendae remissionis peccatorum & salutis Deus hominibus posuit, ut Christo innituntur, & omnem suam fiduciam in eum collocent, quod aliter, nisi per fidem, fieri nequit. Et sicut in tempore Deus istam à nobis exigit, ut salute potiamur, ita idem ante tempora in aeterno electionis suae decreto fieri voluit & decrevit. Ideò dicimur electi *in fide veritatis*, II. Thess. II. 13. *Predestinati secundum propositum ipsius, qui ante in Christo speravimus*, Eph. I. 12. *Item electi in Christo, praedestinati in adoptionem filiorum*

horum Dei, dilecti specialiter, ut complacentes Deo, quæ nemini sine fide obtingunt, nam sine hac impossibile est Deo placere, Hebr. xi. 6. Ali- bi etiam Scriptura docet, Deum secundum præscientiam homines eli- gere. Ecquid autem præscire potuit in hominibus? non homines ipsos, ut homines sunt, aut prout peccatis contaminati erant, sic enim omnes elegisset, nec eorum dignitatem ac merita, quæ nulla erant, & Pelagianismum referrent, ad fidem igitur misericordiæ divinæ atque inde profecto merito Christi innixam æterno intuitu respicit.

XLI. Ut autem homines tum fidei, tum cæterorum Christi benefi- ciorum participes redderentur, per Evangelium ipsis conferre, & ad ea amplectenda invitare constituit. Ideo enim semper Deus inde à primordio mundi ministros suos necessariis dotibus instructos emisit, qui voluntatem suam hominibus annunciarent, & quid fie- ri, quid omitti ab iis velit, edocuit: neque enim voluit nescientes quasi, & nec miseriæ suæ, nec divinæ misericordiæ conscios, multo minus jussorum suorum immemores aut negligentes salvari, sed si obtemperent Evangelio divinitus patefacto, & promissis Dei de sa- lute per Christum consequenda fidem habeant. In hunc enim finem, Deo ita volente, Verbum Dei annunciatur, non ut indurentur qui- dam, aut excæcentur, sed ut per illud auditum, lectum, aut alio modo ritè perpensum ad fidem adducantur, & per fidem justificen- tur ac salventur.

XLII. Hæc beneficia verò ad omnes omninò homines spectant: nec enim paucorum tantum, ut Calvinus & ejus Sectatores statuunt, sed omnium hominum Deus misertus est, omnibus & toti mundo fi- lium misit, pro omnibus Christus satisfecit, omnes per Evangelium ad se vocare, omnibus etiam fidem dare, omnes quoque salutis compotes reddere constituit: neque quisquam excluditur, nisi qui sponte & propriâ culpâ ac incredulitate semetipsum excludit. Quod tam frequenter in Scripturis inculcatur, ut loca omnia huc adduce- re velle infiniti laboris fuerit, quare uno alterove contenti erimus. Equidem quod omnium velit misereri, & miseriæ hujus fructum in omnes diffundi, disertis verbis Apostolus docet Rom. xi. 32. *Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium miseretur. Si in his Apostoli verbis non omnes & singuli intelligantur, & sta- tuatur*

tuatur Deum non omnium velle misereri, consequens est, nec Spiritum sanctum propriè locutum esse, nec verba ejus in proprio & nativo significatu capienda, nec omnes homines peccato inquinatos esse, quod falsum & ἀθεόλογον est. Quod verò omnium, etiam reproborum misereri velit, inde prætereà patet, quod *omnes homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire*, I. Tim. II. 4. quod *nolit ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, II. Pet. III. 9. quod *non delectetur morte impii, sed ut convertatur à viis suis & vivat*, Ezech. XVIII. 23. Si ergo Deus omnes vult servari, & neminem perire, si omnes ad pœnitentiam reverti vult, nec morte pereuntis delectatur, sed molestiam potiùs ex ipsorum pernitie capit, omnium utique, etiam pereuntium, misertus est. Si tamen quis nondum admittet ista, contradictoriam his sententiam concedat necessum est, Deum scilicet non omnes velle servari & ad agnitionem veritatis venire, quosdam velle perire, pereuntium morte delectari, & sic quidvis ex quovis colligere licebit. *Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia Dei super omnem carnem*, Syracides ait, cap. XVIII. 12. Huic potiùs, etsi Scriptori non θεοπνεύτω, qui tamen cum Scripturis canonicis hac in parte exactè convenit, quàm Calvinistis omnibus fidem habebimus.

XLIII. Quod verò Filius Dei non paucis hominibus, sed totì mundo missus sit, ut pro omnibus omnium hominum peccatis satisfaceret, eadem Scriptura apertis verbis docet Joh. III. 16. & cap. VI. 51. *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ*. I. Joh. II. 2. *Ipsè est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Joh. I. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. II. Cor. V. 18. *Pro omnibus mortuus est Christus*. I. Tim. II. 6. *Christus dedit se redemptionem pro omnibus*. Rom. VIII. 32. *Deus non pepercit proprio filio, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Si ergò pro totius mundi peccatis mortem oppetiit, si propitiatio est pro omnibus omnium hominum peccatis, nemo certè ab hac ejus satisfactione excluditur. Et ne quis suspicari fortè possit, eam ad damnatos, & qui pereunt, non pertinere, ipsa quoque Scriptura cavere voluit, cum inquit Rom. XIV. 15. *Ne esca tuâ illum perdas, pro quo Christus mortuus est*. I. Cor. VIII. 11. *Tuâ istâ scientiâ peribit frater infirmus, pro quo Christus mortuus est*. Hebr. VI. 4. 5. 6. & cap.

& cap. x. 26. seqq. docetur, quod ii, qui sunt illuminati, gustaverunt donum cœlestē, & participes facti sunt Spiritus sancti, Christum denuò crucifigant, & sanguinem fœderis, quo sanctificati fuerunt, pedibus conculcent. II. Pet. II. 1. *Magistri mendaces Dominum, qui eos mercatus est, abnegantes, sibi ipsis celerem interitum accersunt.* Quod si ergò pro iis quoque Christus mortuus est, qui damnantur & pereunt, qui peccatum ad mortem & contra Spiritum sanctum admittunt, pro omnibus utique satisfecit, nullo excepto.

XLIV. Non tantùm verò, Dei misericordia & Christi meritum universum hominum genus complectitur, sed etiam beneficia isthæc hominibus omnibus oblata, & ut vis passionis ac meriti Christi mortalibus innotescat, revelata, omnibusque hominibus ex Dei intentione annunciari debuit. Unde nullum hodie populum in tota οἰκουμένη reperire licet, cui non aliquando prædicatum sit Evangelium, fatente Paulo Apostolo Rom. x. 19. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra sonus eorum,* ex Psal. xix. 5. Et Coll. i. 6. *Evangelium pervenit, ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat.* v. 6. *Evangelium prædicatum est in universâ creaturâ, quæ sub cœlo est.* Item Act. xvii. 30. *Deus nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem.* Quæ dicta tam clara & solis radiis scripta sunt, ut à nemine, nisi qui solem medio die lucere negare velit, in dubium vocari, aut ad certas tantùm orbis habitabilis provincias aut particulas restringi possint. Nam particulæ *omnis* hæc vis & significatio nativa est, ut neminem excludat, & tot homines per Apostolos vocati dicuntur, quot aliquando in extremo die per Christum iudicabuntur, denique eò Evangelium per Apostolos prædicatum penetravit, quousque solis radii pertingunt.

XLV. Sicut autem Deus omnes homines cum omnibus ferri affectus & propensæ voluntatis indiciis vocavit, ita omnes quoque seriò ad fidem adducere, & ut omnes eam adipiscantur, modis mediisque quibus unquam fieri potest, efficere intendit, etsi multi restitisse ac parere noluisse legantur. Quorsum tot promissiones, quærelæ, obtestationes, adhortationes, obsecrationes, tot præcepta ac mandata, apud reprobos ac electos ingeminata, multa que alia his similia media pertinent, unde tanquam ex luculentissimis signis, quæ

quæ sit Dei erga omnes homines intentio & voluntas, perspicuè colligere licet. Nempe non vocat homines, ut in omnia alia discedant, non præcipit, ut immorigeros se præbeant, non adhortationes, comminationes, objurgationes subinde ingeminat, ut induerentur, & pereant, sed ut veniant, convertantur & vivant.

XLVI. Atque hic alter gratiæ divinæ gradus est, non minus ac superior, uti patet, universalis & hominibus omnibus, reprobis atq; electis communis, qui & ipse suo modo ex parte Dei absolutus est, etsi ratione ordinis, quem instituit, & ab hominibus observari voluit, ordinatus seu conditionatus appellari queat. Absolutus, inquam, est, non pendens ab ullâ conditione ab hominibus sive per naturam, quod Amyraldus contendit, sive per gratiam præstandâ; sed solâ Dei *Φιλανθρωπία* & *εὐδοκία*: Absolutè enim hominum omnium misereri voluit, absolutè quoque Messiam promisit, & hic venturus in mundum erat, etsi nullus hominum in eum credidisset, imò ideò in carnem misit, ut fidem & cætera, quæ ad eam ingenerandam & confirmandam necessaria sunt, procuraret, absolutè quoque hominibus omnibus aliquam saltem speciem vocationis, & aliquam gratiæ convertentis mensuram communicare decrevit. Quæ verò ab Amyraldo sociisque pro suâ sententiâ stabiliendâ, quâ docent, velle & voluisse Deum omnium misereri, Christum pro omnibus mori, omnes quoque vocare ad salutem participandam, si modò ipsi prius credant, id verò eos per se facere non posse, nec Deum omnibus hanc facultatem, ut credere possint aut velint, concedere voluisse, atque hinc fieri, ut non omnes salventur, afferri solent, non difficilem adeò habent explicationem, & se mutuò confodiunt. In Scripturâ nihil tale reperiri ipsa eorum inspectio docet; nam cum Christus Deum omnes homines dilexisse, & filium suum mundo dedisse testatur, non id fecisse ait, si homines eum prius diligant, aut in Christum credant, sed Deum ita dilexisse homines, ut Filium daret, sive illi credant, sive minus, & Christum in mundum missum, non si credat mundus, sed ut in eum fiduciam reponant. Quod exemplo serpentis ænei contra morsus viperarum à Deo instituti, quo Christus ipse Joh. III. 15. utitur, illustrari potest: Sicut enim inventio, institutio & ordinatio remedii istius ad sanandos Israelitas à serpentibus percussos solius Dei bonitati non
ullis

ullis hominum meritis, fidei aut conditionibus ab iis præstandis, accepta ferenda erat, & à Deo exhibita fuisset, etsi nemo hominum oculis unquam usurpasset, ita ordinatio, missio & satisfactio Christi Redemptoris non à suspensâ fide, aut ulla conditione ab hominibus præstabili, sed solâ Dei *Φιλαθεωπία* dependet. Sed nec fidei & conditionis toties inculcatâ natura & ratio permittit, ut dicamus, Deum omnibus velle mittere Filium suum, si in eum credant. Conditio enim, quæ pacto apponitur, ordine prior esse debet re ipsâ, cui additur, fides autem non prior, sed posterior est Christi missione, à quâ illâ tanquam effectus à suâ causâ oritur. Quod igitur merito Christi ordine posterior est, non potest ejus præstandi esse conditio præcedens. Denique si nihil aliud in promptu esset, quo sententia illa redargueretur, id sufficiat, quod ipsimet ejus auctores fateantur, conditionem esse impossibilem & negandi vim habere. Si enim Deus dicit, volo omnibus hominibus redemptorem mittere, si credant, nolo autem ut credant, nec vires credendi supeditabo, imò volo ut non credant, idem est ac si diceret, nolo omnibus hominibus redemptorem mittere.

XLVII. Hæc omnia igitur ad Voluntatem Dei antecedentem pertinent, nondum autem prædestinationis decretum totum de salute electorum & oppositâ ei reprobatione damnatorum absolvunt, sed tertium & postremum priori tamen innixum accedere oportet, qui est benevolus & propensus Dei in salutem hominum incumbentis erga eos, qui Evangelio obtemperant, & in Christum credunt, affectus, cum proposito his, quâ credentes sunt, vitam æternam conferendi. Unde alterum ei oppositum decretum consequitur, quod scilicet incredulis & immorigeris æterna damnatio debeatur. Inter hunc ultimum gradum verò & præcedentem hoc interest, quod ille communis sit omnibus hominibus, iis etiam, qui pereunt & non salvantur, hic circa fideles tantum & amicos Dei versetur, hi enim peculiariter Deo placent, & ab eo diliguntur, Joh. xiv. 21. 23. Ille salutem æternam & media ei consequendæ idonea ordinat, hic media admittentibus vitam æternam decernit, repudiantibus autem pœnas destinat: Ille impediri potest, & sæpè impeditur, quo minus finem, quem intendit, assequi possit, nam homines mediis ad salutem obtinendam ordinatis liberè uti & non uti possunt, hic,
 G quia

quia præscientiæ Dei innititur, quâ ab æterno prævidit, qui mediis rectè usuri erant, ideò falli & sine suo excidere nunquam potest.

XLVIII. Ut igitur hanc de Causâ efficiente disputationem tandem finiam, & singulis ejus partibus, quod Logici muneris est, convenientia nomina imponam, ita habendum, Causam efficientem prædestinationis esse unum & solum Deum, ejusque passim deprædicatam *Φιλαθεωμίαν*, quæ sicut ab essentiâ divinâ nihil differt, ita aliam causam præter se nullam habere potest. Causa meritoria Christus est, propter hunc enim Deus tum salutem ipsam, tum omnia ejus media nobis impartiri decrevit. Quia tamen meritum hoc extra nos est, nec aliter nobis prædesse potest, quàm si apprehendatur, fide, veluti manu, quâ apprehendimus quippiam, opus est, quam proinde instrumentalem appellare licebit. Sive autem dicamus, nos fide aut per fidem in meritum Christi defixam, sive per & propter Christum fide apprehensum à Deo eligi, non multum adeò interest.

CAP. III.

De

Causâ impulsivâ externâ.

XLIX.

Cum de causâ impulsivâ Prædestinationis disputatur, id primò omnium supponendum est, non quæri de voluntate ipsâ secundum substantiam suam, an ejus aliqua causa detur: Quia enim illa ab æterna Dei essentia realiter non distingvitur, ideò sicut Dei essentia absoluta & independens est, ita voluntatis quoque divinæ, ut voluntas est, nulla causa extra Deum datur, sed nec volitionis, ut actio quædam est, alia, nisi voluntas ipsa, esse potest. Quando enim voluntas vult aliquid, seu volendi actionem exercet, non ab ulla alia causâ inducta id facit, sed quia ipsamet libera est, & actionem suam in potestate habet. Volitio autem, cum sit ex earum actionum genere, quæ immanentes appellantur, ab eo principio, in quo recipitur, simul etiam efficitur. Nulla igitur alia res vult, quàm voluntas, cum velle dicitur, & actio volendi voluntatem suæ volitionis.

tionis causam habet. Neutiquam ergò hoc loco de voluntate ipsa, seu actu Dei prædestinantis quæritur, sed prout ab æterno ad certum objectum seu effectus in tempore futuros terminatur, nec rursus tamen simpliciter, aut prout circa creaturas quascunque, etiam irracionales, quas ad finem naturæ suæ convenientem destinat, versatur, sed quatenus homines decreto suo ad finem supernaturalem ordinat, & de salvandis his, damnandis verò aliis, decernit.

L. Quia tamen duplex decretum haud incommode statuitur, unum generale, quo Deus pro liberrimâ voluntate suâ, certum ordinem, secundum quem homines ad salutem perducere statuit, in mente suâ designavit, alterum speciale, quo eos tantum, quos ordini, quem adipiscendæ salutis constituit, acquieturos esse ab æterno prævidit, beatitudini æternæ, cæteros autem, quos contumaces esse, & obsequium detrectaturos certissimè cognovit, æternæ damnationi deputat, hîc non de priori, sed posteriori tantum quæstio instituitur. Generale enim Dei decretum ad voluntatem Dei antecedentem pertinet, nec ullam aliam causam, præter liberrimam ejus voluntatem, nec fidei aut incredulitatis, velut causæ, quæ Deum ad faciendum illud decretum moverit, intuitum admittit: Liberè enim & ex se, solâ misericordia & benignitate sua motus Deus humani generis lapsi misertus est, & ob eandem causam Redemptorem illis, fidem, aliaque media, ipsam denique æternam salutem donare constituit. In posteriori verò decreto, ubi non simpliciter ordo à Deo positus consideratur, sed prout homines obediens aut inobediens, & ordinem vel admissuri vel repudiaturi erant, conditio fidei, tanquam causæ sine qua non, attendenda est. Conditio enim præscripta causæ alicujus rationem induit, & si ea observata fuerit, effectus sequitur, sin minus, impeditur, & causæ in agendo fine suo excidit.

LI. Per causam verò non quamcunque, ex ordine aliarum causarum, efficientem videlicet, materialem, formalem aut finalem intelligimus, nam Deum ipsum efficientem causam esse nostræ prædestinationis, & gloriam ejus finalem, materialem verò & formalem propriè dictam non dari ab omnibus conceditur, de solâ igitur impulsiva externa quæstio est, quæ *προκαταρκτική* medicis & philosophis dicitur, & à *προηγμένη* in eo distingvitur, quod hæc sit pri-

mum rei fundamentum, unde morbus oriatur, illa verò ab extra
 excitet augeatque, sicut iracundiæ causa *προθυγυέειν* est tempera-
 mentum cholericum, *προκαταρητική* verò objectum externum,
 injuria aut convitium, quod temperamentum irritet acuatque.
 Eodem modo se res habet in negotio nostræ electionis, cujus causa
 princeps sine omni dubio Deus est ejusque incredibilis erga genus
 humanum *Φιλανθρωπία* ac misericordia, hæc autem miseriam lapso-
 rum hominum permota fuit ad miserendum, & amissam salutem re-
 stituendum, ut verò actu conferret, aliã quadam re extra se permo-
 tus fuit, quam causam impulsivam appellamus: Deum enim movet
 ac impellit, ut hunc salvet, alterum damnet. Non quod Deum
 physicè & ita moveat, sicut causa aliàs in effectum influit, eatenus
 enim Deus & voluntas divina, tanquam principium prorsus *ἀκίνη-
 τόν* à nulla re movetur aut impellitur, id igitur facit moraliter, &
 ita, ut quamvis per se Deum movere & impellere ad decretum fa-
 ciendum nequeat, ipsemet tamen se gerit, ac si intuitu ejus ad nos
 eligendos permotus fuisset, sine ullâ motione propriè sic dicta. Nam
 liberè sibi hanc conditionem posuit, ut non alios, nisi credituros &
 in fide ad vitæ finem usque perseveraturos salvare velit, purificatã
 igitur conditione, quod ab æterno futurum prævidit, effectum pro-
 ducit, suspensã verò illa, effectum quoque suspendit. Atque ob eam
 rationem causa impulsiva quandoque causa impropriè dicta, quan-
 doque causa sine qua non, conditio, ratio, vel alio nomine appel-
 latur, cujus officium sit, non realiter in aliquo genere causarum,
 sed virtualiter causare, aut saltem ita se gerere, ac si causæ rationem
 haberet.

LII. Id igitur nunc quæritur, an Deus in nobis aliquid prævide-
 rit, ex gratiã suã quidem & merã benignitate proditurum, quod sit
 conditio quædam, ordine præcedens decretum prædestinationis,
 quo commotus & impulsus fuerit ad vitam æternam decernendam,
 & nobis aliquando largiendam? An verò nihil omninò respexerit,
 sed solo arbitrio liberæ voluntatis suæ sine omni intuitu fidei aut in-
 credulitatis delectum aliquem instituerit, & aliis vitam, cæteris
 mortem absolutè destinarit? Ita enim Form. Concord. p. 812. con-
 troversie statum exhibet: *Dubium non est, quin Deus exactissimè &
 certissimè ante tempora mundi præviderit, & hodie etiam nescit, qui-*
niam

nam ex eorum numero, qui vocati sunt, in Christum credituri, aut non credituri sint: qui ex conversis in fide perseveraturi sint, qui non: & qui in peccata gravia prolapsi, reversuri sint, & qui in sceleribus perituri. Et iterum p. 802. num. IV. Dei aeternum propositum est, quod omnes, qui poenitentiam verè agant, & Christum verà fide amplectantur, justificare, in gratiam recipere & in filios & haeredes vitae aeternae adoptare velit. Num. VIII. Ille item in aeterno consilio suo decrevit, quod eos, quas elegit, vocavit, justificavit, in alterà, aeternà illa vita salvos facere, & aeternà glorià ornare velit. Et quidem Deus illo suo consilio, proposito & ordinatione, non tantùm in genere salutem suorum procuravit, verum etiam omnes & singulas personas electorum (qui per Christum salvandi sunt) clementer praescivit, ad salutem elegit & decrevit, quod eo modo (quem jam recitavimus) ipsos, per suam gratiam, dona, atq; efficaciam, salutis aeternae participes facere, juvare, eorum salutem promovere, ipsos confirmare & conservare velit. Nec aliter Calvinistae ipsi, cum suam aliorumque sententiam de hoc capite proponunt, disputare solent. Nam in Collat. Hag. p. 58. contendunt, *Causam cur Deus decreverit quosdam homines ita eligere, alios verò non, esse purum putum beneplacitum ipsius, & meram gratiam: non autem quod praeviderit alium quidem crediturum in Christum, alium verò non, ac proinde fidem non esse causam vel conditionem, quae electionem ad salutem precedat, sed fructum promanantem & consequentem ex electione ad salutem.* Et Curtius de fund. salut. p. 193. *Decretum Dei absolutum est à causis extrinsecus Deum impellentibus ad tale ineundum, sola causa impellens interna est Dei clementissima voluntas & beneplacitum, sive, uti Paulus loquitur, benevolus affectus voluntatis ejus.* Et pag. seq. *Quamvis Reformati sentiant, causam impulsivam decreti electionis extra Deum, Deiq; beneplacitum antecedentem ipsum decretum non dari, minimè tamen credunt, Deum decrevisse iis, quos elegit, salutem (in tempore & ratione executionis) dare absolutè & citrà media.* In eo igitur controversiae hujus cardo vertitur, utrum aliquid, quod rationem causae impulsivae habeat, à Deo praevisum fuerit ab aeterno, quo ad decretum de salute nostra statuendum impulsus quasi & per motus fuerit, an nihil omninò, praeter solum Dei beneplacitum, locum habuerit?

LIII. Reformati, ut patet, decreti illius, quo Deus alios homines præ aliis ad vitam æternam provehere statuit, causam ex mero & absoluto beneplacito arcessunt: Nos fidem in meritum & satisfactionem Christi defixam impulsivam causam fuisse dicimus, quã in actu positã salutem hominibus dare, sublatã verò illã aut suspensã damnationi depunare decrevit. Duplicem verò causam hinc consideramus, unam, quæ extra nos est, Christum scilicet cum meritis suis, per quem & propter quem non tantum salus ipsa, sed omnis quoque benedictio spiritualis nobis obtingit, alteram fidem, quæ in ipsum fertur, & qua merita ejus apprehendimus, nobisque, ut nostra fiant, applicamus. Ille princeps causa est decreti, qui ex se, ut Deus & homo est, infinitam virtutem, efficaciam & valorem habet, quo salutem nobis promereri, & Deum ipsum ad decernendam nobis vitam æternam permovere potuit. Hæc causa impulsiva minus principalis dicitur, quæ tamen nequaquam virtute propriã, merito, dignitate ac perfectione suã intrinseca moveat vel impellat Deum, ut aliquos homines salvare velit: Neque enim fides aut ipsa satisfacit iræ ac justitiæ divinæ, aut ullius meriti rationem habet: neque etiam propter fidem, sed per eandem, justificamur & salvamur, ergo etiam prævisã eadem, tanquam instrumento, ab æterno electi sumus. Hæc duo igitur arctissimo nexu copulari debent, fides nempe Christi meritum apprehendens, & merita ac satisfactio redemptoris fide apprehensa: neque enim fides ullius momenti est in hoc negotio, nisi officio suo sibi proprio fungatur, quod est apprehendere per modum instrumenti, ut Rom. ix. 30. explicatur, vel potius recipere objectum sibi oblatum, Joh. i. 12. Nec Christi meritum nobis prodest, nisi fide apprehendatur. Atque hoc pacto ab unã parte Pelagianismum, ab altera absolutismum, ut in horribili ac barbarã prorsus opinione simili quoque voce uti liceat, evitamus. In quo decreto enim fides locum habet, id absolutum non est, & ubi fides non ut nostrum opus, sed solius Dei donum consideratur, viribus liberi arbitrii nec ex toto, nec ex parte quicquam tribuitur.

LIV. Quia verò fides nonnunquam instrumentum, mox causa sine quã non, ab aliis conditio, vel alio nomine appellatur, cum electioni inseritur, ideò quæ notio omnium maximè illi conveniat, indagandum est: Id verò ex munere, quo tam in electionis decreto, quam

quàm executione ejusdem, imprimis verò justificatione fungitur, quàm rectissimè cognosci potest: Nullum enim dubium est, quin Deus ita agat in tempore, quo ab æterno agere decrevit, & fides idem officium in tempore exercent, quo ab æterno à Deo præcognita fuit, nec aliter se in justificatione habet, quàm in æternitate se habuit. Ad justificationem verò per modum causæ instrumentalis concurrat, ubi ejus officium est apprehendere, quod fides quoque præstat & apprehendit, non quidem integrum actum justificationis, sed partem ejus principalem, quæ est Christus cum merito suo. Id verò ita probatur: Quod officium remotis omnibus aliis, quæ ipsi tribui aut excogitari possunt, in actu justificationis fidei assignatur, id sine omni dubio proprium ejus officium fuerit, unde vera ejus denominatio petenda. Atqui apprehensio meriti Christi est illud officium, quod fidei, dum justificat, tribuitur, & quidem exclusis cæteris omnibus, ergò apprehendere solum ejus officium censendum est. Minor confirmatur: Fides justificans tres cum primis actus continet, Notitiam scilicet, quâ Deus, & quem misit, Christus rectè agnoscitur; Assensum, quo Verbo & promissionibus divinis de Dei erga nos benevolentia ac misericordia fides adhibetur, ac denique fiduciam, quam in mortem ac meritum Christi collocamus, atque inde certò Deum nobis propter Christum propitium futurum esse confidimus. Ex his modis unum alterumve amplecti oportet, quo justificari oporteat. Addunt Pontificii non fide tantum, sed operibus quoque hominem justificari & ubicunque in Scripturis fidei mentio fit, fidem operibus formatam intelligunt, quod idem est, ac si dicerent, operibus seu meritis homines justificari, ac tandem eam dispositionem vocant, qua homo ad consequendam justificationem præparetur. Argumentor igitur ita: si fides non justificat, ut notitia est, nec assensus, nec dispositio, nec opus meritorium, relinquatur eam justificare, ut fiducia est in Christo collocata: Non justificat autem primo & secundo modo, nam Dæmones quoque veram doctrinam de Deo & Christo cognoscunt eique assensum præbent, neque tamen justitiæ Evangelicæ participes redduntur. Nec tertio modo, quod patet exemplis eorum, qui justificati per fidem dicuntur, imprimis verò Abrahami Rom. iv. 23. 24. qui per fidem non tantum dispositus fuit ad justificationem,

aut

aut initium aliquod ejus, sed totum complementum nactus est. Nam ubi fides salutaris in actu posita est, ipsa justificatio mox sequitur, hæc duo enim sunt simul. Nec quartum hic locum habere potest, quia fides & opera in actu justificationis sibi opponuntur & se mutuo excludunt. *Arbitramur hominem fide justificari, absque operibus legis*, ait Apostolus Rom. III. 28. *Scimus non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*, Gal. II. 16. Relinquitur igitur, quod fides, quatenus Christi meritum apprehendit, & nobis applicat, concurrat ad justificationem. Unde iterum colligo: Quod eatenus justificat, quatenus Christi meritum fiducialiter apprehendit, id justificat, tanquam causa instrumentalis. Atqui fides ita justificat. E. rursus: Sicut se habet manus mendici ad eleemosynam & sumptio mendicamenti ad sanitatem, ita se fides habet ad justificationem & remissionem peccatorum impetrandam. At manus mendici ad eleemosynam & sumptio medicamenti ad convalescentiam se habent velut instrumentum ad accipiendam eleemosynam & recuperandam valetudinem, ergo & fides ad consequendam peccatorum veniam. Quo respectu verò fides in tempore concurrat ad justificationem & salutem efficiendam, eodem quoque & non alio in æterno justificationis & salutis decreto concurrat, videlicet non ut opus aliquod, aut dispositio qualiscunque, sed ut instrumentum id, quod morte ac passione suâ nobis salutem promeruit est, apprehendens. Non putamus autem multum adeo interesse, sive hoc sive alio nomine appelletur, sufficiat nobis id, utrumque, meritum Christi ac fidem in signo rationis decretum ipsum præcedere. Id verò nobis nunc probandum est.

LV. Adstruitur autem sic: *Primò* Apostolus disertis verbis docet nos electos esse *in Christo*, Eph. I. 4. II. Tim. I. 9. *In Christo* autem idem est ac *per* & *propter* Christum, ita enim particula *in* frequenter in scriptura capitur, ut Gen. XXIX. 18. Deut. XIV. 16. Matth. VI. 7. Act. VII. 29. Eph. III. 13. & res ipsa ostendit, neque enim aliter, quam *per* & *propter* Christum benedictionem, adoptionem, redemptionem ac remissionem peccatorum, hæreditatem coelestem, quæ omnia Apostolus conjungit, & ex eodem fonte derivat, accipimus. Si ergo in Christo eligimur, consequens est, Christum electionis decreto priorem ejusque causam impulsivam esse, nec id absque illo factum

factum dici posse. Excipiunt tamen *οἱ ἐξ ἐναντίας*, Christum omnino intervenire, sed ad exequendum, non edendum salutis decretum, Deum enim absolutâ voluntate, nullaque alia causâ impulsam decrevisse paucis hominibus salutem impertiri, ut autem id, quod statuit, effectum reddat, Christum mediatorem destinasse, decretum itaque de Christo Redemptore mittendo non præcedere decretum electionis, sed ex hoc ipso decreto, quo jam ante quidam absolutè & sine intuitu ullius fidei peremptoriè ad salutem destinati sunt, veluti ex primo fonte ac scaturigine profluere. Verùm respondetur I. nihil tale apud Apostolum vel in tota Scripturâ sacra, sed contrarium potius legi, quæ docet, neminem sine Christo Deo placere, neque eligi posse, ipsum esse primum fontem, unde bona omnia spiritualia ad nos deriventur. II. Si Christus mediator non aliter ad electionem pertinet, quàm ratione executionis, electio utique facta est sine Christo & antequam ipse in mediatorem destinatus fuit, nec is hominibus quicquam, quod ad electionem pertinet, promereri potuit, aut debuit: quid enim opus erat mediatore iis, quibus jam ante absolutè & infallibiliter salus destinata erat? & quomodo gratiam promereri potuit iis, qui jam tum gratiam adepti sunt? Quos autem Deus ad æternam salutem irrevocabili voluntate elegit, ante Christi interventionem, eos etiam ad eandem infallibiliter perducere debet, sine ejusdem intuitu: Absolutum enim decretum revocari nequit.

LVI. Deinde eadem Scriptura tradit, Deum *juxta præscientiam* homines eligere, I. Pet. I. 2. *electi & προγνωστων* dicuntur. Et Rom. VIII. 29. *ὅς προέγνω, quos præscivit Deus, illos etiam prædestinavit.* Cap. XI. 2. *Non abjecit populum suum, quem præcognovit.* Dum igitur Deus elegit homines secundum præscientiam suam, oportet aliquid in eligendis extitisse, ad quod ille, tanquam aliquid electione ordine prius, respexerit, & propterea eos præ aliis elegerit. Nihil autem intuitus fuit, aut intueri potuit, aut in eligendis deprehendit, nisi solam fidem. Unde fit argumentum: Si electi sumus secundum præscientiam fidei, ergò fides ordine electionem antecedit, objectum enim prius est actu, qui circa objectum versatur. Si regerant, præscientiam secundum rem idem esse, quod decretum, & præscire decernere, fidem autem & perseverantiam in ea, cæteraq;

H

media

media effectus electionis vocari, respondeo ad I. interpretationi huic non tantum nativam vocabuli significationem, & omnes adeo Lexicographos, sed ipsum quoque Apostolum refragari, qui docet, nos electos esse secundum præscientiam, & alibi præscientiam & prædestinationem conjungit: Si ergo interpretatio illa peregrina admitteretur, sensus illius dicti foret talis: Deus elegit nos secundum electionem: Hujus verò: Quos prædestinavit, eos prædestinavit. Accedit, quod præscientia sit actus intellectus, decretum autem voluntatis, ut supra quoque ostensum est. Ad II. dicitur, si fides, & cætera media, uti sunt prædicatio Evangelii, vocatio, justificatio, effectus electionis rectè statuuntur, & ex decreto prædestinationis emanare dicuntur, cur non ex eodem fonte incredulitas & cætera media damnationis derivari possent? & quomodo Deus reprobos propter infidelitatem justè perdet? Nihil autem absurdi est, si dicamus fidem diverso respectu causam & effectum electionis appellari posse, & causam quidem esse, si decretum ab æterno factum respiciatur, effectum ratione executionis, quemadmodum peccatum causa est reprobationis, & tamen Adami lapsus medium & effectus statuitur.

LVII. Denique idem ex perpetuâ decreti electionis & ejusdem executionis harmonia ac consonantia luculenter probatur, neque enim unum ab altero separari, aut aliter prædestinatio ad salutem ab æterno facta esse, quàm hæc in tempore confertur, vel ut conferretur ab æterno decretum fuit, statui potest. Unde certissima regula hæc est, quam Augustinus in Scriptis suis passim inculcat, & adversarii ultrò admittunt: Quo modo Deus nos in tempore justificat, & salvat, eo quoque ab æterno justificare & salvare decrevit. Atqui in tempore justificat & salvat per fidem, ergo & ab æterno per eandem salutem nobis decrevit. Item: Cujus intuitu in tempore salvamur, & electi habemur, ejus intuitu ab æterno ad salutem electi sumus. At intuitu fidei in tempore salvamur & electi habemur, ergo ejusdem intuitu ab æterno electi & prædestinati sumus. Quare si semel admittatur, salutem in tempore sub conditione fidei, aut habita ratione fidei dari, non potest non eadem sub conditione fidei decreta esse. Aut verò statuendum Deum aliter agere in tempore, quàm ab æterno agere decrevit, & consequenter decreta ipsius

mutari,

mutari, quod inconstantia ac voluntatis immutatae indicium foret, aut certe concedendum, nec in tempore homines per fidem in Christum justificari & salvari, Christum igitur & fidem ex causis electionis excludendum, & eadem opera totum Christianismum, vel saltem praecipuum ejus fundamentum subruendum esse.

CAP. IV.

De

Objecto Prædestinationis.

LVIII.

Formale & adæquatum electionis objectum eo usque extendendum non est, ut Christum & Angelos quoque comprehendat. Quanquam enim Augustinus multis locis, praecipue verò de Prædest. Sanctor. cap. xv. Christum hominem, qui à Verbo assumptus est, Prædestinatum dicat, ut esset Filius Dei, & exemplar prædestinatorum omnium, adductus auctoritate Apostoli, qui Rom. i. 4. dicitur, *ὁμοειδὲς υἱὸς θεοῦ*, quod vulgatus interpres reddit, *prædestinatus est Filius Dei*, nequaquam tamen Apostolus eo loco de prædestinatione propriè dictâ ad gratiam & gloriam, quâ ex communi massa perditionis quidam seorsim à cæteris eliguntur, reliquis in eadem relictis, agit: Neque enim id aut vocabulum, aut contextus, aut denique natura & conditio Christi admittit. Non vocabulum *ὁμοειδὲς*: id enim nullibi in Scripturâ notat separationem quorundam à communi miseriâ, & destinationem ad fidem supernaturalem, sed ad certum officium aut alium aliquem finem, sicut Paulus & Barnabas segregari jubentur ad ministerium prædicandi Evangelium inter gentes Act. xiii. 2. & Christus ipse *ὁμοειδὲς* seu constitutus à Deo iudex vivorum & mortuorum, quod cap. xvii. 31. repetitur. Neque cum scopo & mente Apostoli, aut orationis contextu congruit. Dicitur enim Christus *ὁμοειδὲς*, ut Dei verus & naturalis Filius, per resurrectionem ex mortuis. Prædestinatio verò ex resurrectione non pendet, nec cognoscitur, sed si Calvinianos audiamus, ex absoluto Dei decreto originem suam arcescit. Et quomodo tandem prædestinatio ex resurrectione oriretur, cum hæc facta sit virtute propriâ,

nemo autem se propriâ & naturali facultate ad vitam eligere queat? Nec Christi conditio patitur, ut ipse ad salutem prædestinatus dicatur, neque enim unquam miser fuit, nec vitam æternam ex dono patris, sed ab æterno possidet, & per ipsum solum, quicumque eliguntur, prædestinantur, nemo autem eligitur per seipsum. Unde rectius Beza in annot. maj. per *Declaratum* vertit.

LIX. Objectum itaque Prædestinationis sunt soli homines. Quo modo verò illi Deo prædestinanti objiciantur, non convenit inter auctores, etiam ipsos Calvinistas. Si quis enim vel obiter saltem scripta eorum inspicere voluerit, tot fermè sententias reperiet, quot capita sunt, easque non tantùm diversas, sed oppositas quoq; & adversâ fronte inter se concurrentes. Alii enim considerant hominem ut creabilem, aut creandum, alii ut nondum lapsum, labilem aut lapsum, alii ut salvabilem aut damnabilem, alii alio modo, idque sæpè adeò intricatè & perplexè, ut difficile sit, ex labyrinthis istis, si quis incidat, se extricare. Duæ tamen præ omnibus aliis hodie sunt famosiores, quibus nuper admodùm tertia accessit, præter eam, quæ nostra est, & quarto numero collocabitur. Prima statuit Deum, antequam ullos homines creare decrevisset, aut homines creatos vel in peccatum prolapsos prævidisset, constituisse secum misericordiam & justitiam suam declarare, misericordiam quidem in salvandis quibusdam, justitiam verò in perdendis aliis. Hunc finem autem ut assequeretur, hominibus opus erat, itaque creare eos voluisse, ut ex iis quosdam eligeret, reliquos omnes reprobaret, nullâ habita ratione neque Christi mediatoris & fidei in illis, neque peccati ullius in his, sed hos absolutè reprobasse, illos absolutè elegisse, ideò tantùm, quia sic placuit illi gloriam suam illustrare. Sicut autem hæc sententia, homines ante omnem creationem consideratos, aut certè ex massâ integrâ ad hos fines à Deo creati & destinari docet, ita posterior ex massâ corruptâ quosdam à Deo eligi, reliquos justè in ea deseri, & reprobari contendit. Huic igitur objectum est genus humanum in mente divina consideratum, tanquam peccato contaminatum & propterea æternæ damnationi obnoxium, ex quo Deus decreverit paucos ex puro voluntatis suæ proposito sine ullo fidei respectu eripere, & per media proportionata ad finem illum irresistibiliter perducere, reliquos, ut in perditione

sine

sine omni spe veniæ destituerentur, relinquere, ut in illis misericordiæ exercendæ, in his, tum odii, quod nullum hæctenus erga eos capere poterat, tum justii supplicii exigendi causam haberet.

LX. Quanquam verò inter has diversas opiniones summam convenientiam esse ille, qui Petri Baronis trium de prædestinatione sententiarum summam cum Piscatoris & Junii notis edidit, Præfatione Contra-Remonstr. in Collat. Hag. p. 25. & 33. Rivet. Cathol. Orthod. Tract. iv. q. ix. n. vii. ac forte alii quoq; censeant, imprimis verò Synodus Dordracena, quæ priorem, horridam imprimis ac crudelem damnare noluit, sed Calvinum potius, Zwinglium, Bezam, Piscatorem, qui aut primi eam excogitarunt, aut ab aliis excogitatum amplexi sunt, heroes cælo terraque illustres publicâ Præsidis voce, toto orbe Calvinistico audiente, proclamavit, negare tamen non possunt, immensum adhuc circa objectum ipsum inter se dissentire, & alios quidem Supralapsarios, cæteros Infralapsarios rectè appellari. Quanta enim differentia est inter ens & non-ens, bonum & malum, lucem ac tenebras, Christum ac Belial, tantum quoque inter ista duo discrimen intercedit.

LXI. Utraque verò sententia falsissima est, prior tamen absurdior, i. quia ponit accidens sine subjecto, hoc est, statuit decretum Dei de salvandis aut damnandis quibusdam factum esse, antequam constitueret secum ullum hominem creare. Quod argumentum imprimis Molinæus cap. xiii. Anat. urget, ac inter alia num. xiii. ita loquitur: *Maximè absunt à vero, qui volunt Deum in eligendo & reprobando considerasse hominem, ut nondum creatum: Perinde enim agunt, ac si dicerent, Deum considerasse hominem ut nihil, ac proinde ut non hominem. Sanè eo ipso quod hominem dicunt, dicunt aliquid: at aliquid considerare ut nihil, res est somno propior. Qui vult hominem servare aut punire, necessario prius voluit esse. Nam si Deus prius destinasset hominem ad pœnam, quàm constituisset eum creare, perinde ageret, ac si quis statueret liberos virgis cadere, antequam de iis generandis statuisset. Num. xiv. Denique cum primus actus omnipotentie fuerit circa nihilum occupatus, necesse est præcesserit actum misericordiæ & justitiæ, qui non potest nisi circa ens aliquod occupari. Num xv. Aliis verbis idem dicunt, qui volunt Deum in prædestinando considerasse hominem ut creabilem & labilem. Nam qui creabilem dicit, di-*

cit non creatum, & qui labilem dicit, dicit nondum lapsum. Nisi quod ad alia inconvenientia hoc addunt auctarium, quod ponunt potentiam in re, quæ nihil est. In Deo quidem fuit potentia activa creandi mundum, antequam mundum, crearet, at in mundo non fuit potentia passiva ad creationem, antequam crearetur. Sic nec homini nondum creato inesse potuit potentia ad creationem & lapsum. Ac planè abhorret à ratione, ut qui non est, labilis appelletur. Tum si Deus elegit hominem creabilem, quid obstat, quo minùs dici possit, eum aliquot elegisse, quos nunquam creaturus est? Nam hi quoque sunt creabiles. At si Deus elegit eos, quos præsupposuit se creaturum, oportet voluntas creandi electionem præcesserit. ii. quia Creationem medium statuit, quod Deus ordinarit, ut ad finem suum, electionem & damnationem, devenire queat. Scriptura verò longè alium finem creationis indicat, nempe hunc, non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, i. Thess. v. 9. Deus creavit hominem rectum, Eccles. vii. 30. iii. quia decretum Dei de miserendo & puniendo statuit versari circa non ens, & misericordiam ponit ante prævisam miseriam, justitiam ante peccatum. iv. quod primo loco afferri debuerat, Scriptura sacra, ubicunque de Prædestinatione aut Reprobatione loquitur, non tantùm ens jam existens, verùm etiam diversas ejus qualitates, in aliis fidem, in cæteris peccatum & incredulitatem, supponit.

LXII. Non minùs verò altera quoque, quæ hominem creatum quidem, nondum autem lapsum prædestinationis objectum esse dicit, falsa est, quod i. ex iis Scripturæ dictis probatur, quibus credentes, sperantes, per Christum & in Christo, juxta consilium & propositum, item secundum præscientiam electi perhibentur. Nec enim fide aut Christo opus est, nec prævisio adhiberi debuit, si Deus nihil omninò in hominibus respexit. ii. quibus Dei misericordia deprædicatur, Rom. ix. 15. 16. *Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* v. 18. *Cui vult, miseretur, & quem vult induunt.* Unde vers. 29. quidam *vasa misericordiae* appellantur. Sine antecedente autem prævisa miseriam, nulla cogitari potest misericordia, nec quisquam ad salutem per Christum adipiscendam eligitur, nisi qui consideratur, ut redemptore opus habens. iii. quibus potentiam ac justitiam suam adversus vasa iræ exercuisse affirmatur.

Justitiæ

Justitiæ autem locus non est, ubi nullum peccatum aut malum meritum præcessit, nec Deus innocentes punit, ac ne quidem integra justitiâ pœnis afficere quenkquam posset, in quo nullum peccatum reperit ac prævidit. iv. Si nullus lapsus præcessit, nec Christo mediatore opus fuit; ille enim ideò in mundum missus est, ut salvaret, quod perierat. Si ergo decretum electionis ante prævisionem lapsus factum est, sequitur, etiam ante decretum Incarnationis, atque adeò sine Christo mediatore factum esse. v. denique, si ad statum integritatis recurramus, quo homines omnes felicitate ex æquo fruebantur, & si perstitissent, suo tempore ad perfectè summam beatitudinem, quæ ipsis destinata erat, translati fuissent, & inde electionem arcessamus, dicendum fuerit, omnes homines electos fuisse, neque alios præ aliis seligendos & ad vitam, quam habebant, deputandos fuisse, quod enim quis jamtum possidet, ad id peculiari ratione destinari nequit.

LXIII. Etsi verò alii peccatum Adami supponant, atque ex genere humano lapso alios electos, alios in eo relictos ac damnatos esse concedant, quia tamen electionem & reprobationem factam esse dicunt absolutâ voluntate, quæ nec obedientiam, nec inobedientiam, fidem aut incredulitatem respexerit, nec peccatum aliter, quàm occasionem decreti, aut medium executionis, non ut causam meritoriam perditionis attenderit, ac si Deus hos ad salutem elegerit, istos rejecerit, sive essent credituri, nec ne, ideò à prioribus hac in parte nihil differunt.

LXIV. Moses Amyraldus Salmuriensis Doctor, ut suæ, quàm recens excogitavit, sententiæ viam pararet, neutram quidem damnare audet, neque tamen alterutram earum Lutheranis obtrudendam esse suadet, non primam: *non esset æquum, ait, exigere à Lutheranis, ut eandem methodum in explicanda doctrinâ de Prædestinatione sequantur, quandoquidem multò maxima pars Calvinianorum eam deseruit, ac prope refutavit auctoritate Synodi Dordracenæ.* Neque alteram, quæ objectum prædestinationis constituit hominem lapsum quidem, fidem autem, redemptorem & alia media solis electis & ideo tantùm, ut decretum de electione executioni mandetur, impartiri tradit, & multos, ut ipse ait, habet assertores viros doctrinâ præstantes, & magni in Ecclesiâ nominis: *At tamen, pergit, iniquum*
pariter

pariter existimaverim Protestantes reliquos eò velle adigere, ut necesse habeant eam methodum amplecti, cum inter Reformatos multi sint, quibus liberum solutumq; fuit eam deserere, atque illam revocare doctrinam, quæ Calvino, Musculo, Bullingero, Pellicano aliisque præstantissimis heroibus communis fuit. Hactenus Amyraldus de Secess. ab Ecclesia Rom. p. 161. seqq. Ubi suam, quam aptiorem ad pacem constituendam esse ait, methodum ac sententiam subjungit, quæ statuit, quomodocunque Electio ac Reprobatio sese habeat, redemptionem à Christo factam usque adeò latè patere ex Dei benigna propensaq; in genus humanum voluntate, ut ad omnes omnino homines extendi queat, si modo eam amplecti non dedignentur. Quæ sententia etsi benignior, & nostræ propior esse videri queat, dum objectum prædestinationis hominem lapsum, eumq; crediturum statuit, non minus tamen in eo peccat, quod fidem & gratiam efficacem irrifistibilem ex Dei intentione ac beneplacito non omnibus, sed paucis, quos jam ante sine omni ullius rei extra se intuitu, elegit, dari contendit. Deum quidem solos credentes eligere, non omnibus tamen fidem, & gratiam, quibus eam consequi possint, conferre decrevisse, nec velle, ut omnes credant, sed aliqui potius in incredulitate & peccato perseverent. Quod nihil aliud est, quàm dicere, Deum paucis hominibus fidem ac salutem ex absoluto beneplacito destinasse. Velle enim ut soli credentes salventur, nolle autem ut omnes credant, perinde est, ac velle ut non omnes, sed pauci salventur, idq; absolutè, quia sic placet. Quantum verò hæc ab absoluti decreti patronorum placitis distent, prudentis lectoris judicio arbitrandum committitur.

LXV. Primum igitur & adæquatum divinæ Prædestinationis objectum, quæ quanta & orthodoxa sententia est, sunt homines, non omnes tamen, sed soli virtute & auxilio gratiæ divinæ Evangelio obtemperantes, in Christum Jesum credentes, & in fide illâ ad extremum vitæ halitum perseverantes, aut, si quandoque ab illâ deficiunt, quod quidem propter carnis ac mundi illecebras, res adversas, aut Diaboli tentationes haud rarò contingere solet, ante vitæ finem tamen singulari Dei ope revocati, in eadem morientes. Atque hoc Scriptura sacra passim comprobatur, dum asserit Joh. iii. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* Et cap. vi. 40. *Hæc est*

voluntas

voluntas ejus, qui misit me, ut quisquis videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ephes. 1. 4. *Elegit nos in Christo.* Item cum secundum præscientiam Dei nos electos dicit. Imprimis vero id manifestum est ex prædestinationis executione. Quos enim Deus in tempore vocat, justificat, sanctificat & salvat, eos omnes & solos ab æterno vocare, justificare, sanctificare & salvare decrevit, atque ad vitam æternam elegit. At solos credentes & in fide perseverantes in tempore justificat & salvat. Ergò non alios, quàm eos solos ad æternam salutem perducere decrevit. Qua de re denuò Formula Concordiæ audiatur. Ita autem p. 808. loquitur: *Ut Deus in æterno suo consilio ordinavit, ut Spiritus sanctus electos per verbum vocet, illuminet, atque convertat, atque omnes illos, qui Christum vera fide amplectuntur, justificet, atque in eos æternam salutem conferat: ita in eodem suo consilio decrevit &c.* Et pag. 814. *Æterna Dei prædestinatio in Christo, & nequaquam extra mediatorem Christum consideranda est.* Electi autem in Christo iidem sunt cum credentibus in Christum. Unde idem liber mox p. 820. *Ut voluntas Dei revelata est, quod Deus omnes respicientes & in Christum credentes in gratiam recipere velit, ita & hæc est Dei revelata voluntas &c.* Atque hæc de objecto. Nunc de forma agemus.

CAP. V.

De

Formâ prædestinationis.

LXVI.

Quæ sit forma prædestinationis divinæ ex dictis facilè intelligitur. Polanus lib. iv. Syntagm. cap. iv. dicit esse *designationem hominum servandorum, quâ separati sunt à cæteris hominibus & ordinati ad vitam æternam, tum mediæ salutis nostræ ab æterno præparatorum, Act. 13. v. 48. Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Si enim prædestinatio secundum scripturas propriè nihil aliud est, quàm actio divinæ voluntatis, quâ ab æterno secundum beneplacitum suum statuit certo ordine homines, quos obsequentes futuros esse prævidit, ad salutem perducere, forma ejus utique consistit in modo ac ratione, quam observare ipsemet per se, & observari ab aliis voluit, quod scilicet neminem absolutè, &

I

nullo

nullo habito ad fidem aut Christi meritum, ac ne quidem ad peccatum respectu, sed certis mediis prævisis vita æternâ donare, aut ab eadem rejicere decrevit.

LXVII. Quomodo autem forma comparata sit, ex ordine quo decreta in mente divinâ invicem sequuntur, optimè omnium cognoscitur. Etsi autem hæc reapse idem quid sint cum essentiâ divinâ, & sicut hæc una & simplicissima est, ita & illa, seu volitiones simplicissimæ habeantur, ratione objectorum tamen, & ut nos capere possimus, certum aliquem ordinem ponere nihil vetat, ita ut una intellectio præcedat, altera sequatur, sicut unum objectum prius aut posterius est altero, à quo dependet. Ut cum Deus mundum aliquando destruere decrevit, hinc ipse prius eundem creare statuit, decretum igitur de creando mundo in signo rationis præcedit decretum de eodem destruendo. Et quia missio Redemptoris à lapsu protoplastorum pendet, ideò enim in mundum venit, ut pro peccatis hominum satisfaceret, & nos à miseriâ liberaret, hinc decretum de permittendo lapsu ordine prius est decreto de mittendo Redemptore. Ad eundem modum se res habet circa actus prædestinationis, qui, ut ratione objectorum, distincti sunt, & à nobis quoque distinguendi, ita prout dependentiam ad invicem habent, ordinem quoque, seu prius & posterius admittunt.

LXVIII. Sicut autem duæ famosissimæ Calvinianorum de Prædestinatione sententiæ reperiuntur, una Supralapsariorum, qui decretum Electionis ante lapsum hominis ejusque prævisionem, imò & creationem ipsam ponunt, altera, quæ utrumque postponit, ac propterea ejus auctores Infralapsarii appellantur, ita non uno eodemque modo decreta divina ordinant. Et prima quidem hunc ordinem observat, ac dicit. I. Deum instar sapientissimi alicujus artificis primò omnium de fine, ad quem collimaret, & omnes actiones suas dirigeret, cogitasse. Atque hunc fuisse declarationem gloriæ suæ, imprimis verò misericordiæ & justitiæ, quod fieri quam commodissimè poterat per duo eis proprietatibus consentanea opera, Salvationem scilicet ac damnationem. Quia verò misericordiæ non est locus, ubi non præcessit miseria, nec ullus justitiæ sine antecedente peccato, ideò II. statuit creare homines, & in tali statu collocare, in quo misericordiæ & justitiæ objecta fieri quirent. III. ne fine suo

suo frustraretur, decrevit arcano quodam impulsu perducere hominem ad peccatum, vel saltem gratiam suam, qua solâ peccatum evitare poterat, subtrahere, & naturæ suæ relinquere, quo posito necesse erat peccare. iv. Tum decrevit ex toto genere humano lapsa minimam ejus partem ex miseria eripere & ad salutem æternam eligere, longè maximâ verò in misero illo statu relictâ, & ad æternum exitium destinata, idque pro nudo & mero beneplacito, & idcò tantum, ut in illis misericordiam & bonitatem suam ostenderet, in istis justitiam & potentiam suam experiretur. v. denique de mediis utrisque convenientibus cogitavit. Quæ sententia quàm absurda, impia, ac naturæ Dei, sapientiæ, justitiæ & bonitati inimica sit, nihil nunc opus est pluribus demonstrari, & per se manifestum est. Id nunc breviter notetur, quòd decretum Dei de eligendis his ac damnandis aliis versari doceat circa non-ens, creationem medium constituat executivum, Deum hominem ad peccatum ordinasse, & idcò creasse statuatur, ut quidam ex iis damnarentur, idque citra omnem respectum fidei aut incredulitatis, nec media omnibus, sed aliquibus exhiberi, cæteris denegari, aut si aliqua concedantur, inefficacia esse, ut per ea ad frugem reverti & salvari nequeant, contendat. Ut nihil jam dicam regulam illam practicam, finem primum esse in intentione & ultimum in executione, nec naturæ divinæ, nec decreto Electionis, ac Reprobationis convenire. Quod enim homines primò de fine, postea de mediis deliberant, causa hæc est, quod nesciant, quis finis optimus sit, & quæ media ipsi consequendo proportionata, id verò de Deo, sapientissimo omnium & excellentissimo artifice, ne cogitari quidem potest. Et absurdum decretum foret, in quo statueretur prius de hominum Electione aut Reprobatione, antequam decretum factum sit, de eorundem creatione, non entis enim nullæ sunt qualitates aut reales affectiones. Et quæ tandem justitia foret, sive patris sive regis aut principis terreni, primò statuere de infantis aut subditi morte, deinde decernere generationem aut subditorum acquisitionem & peccatum?

LXIX. Altera sententia, quæ Dordracenorum est & cæterorum Infralapsariorum, etsi mitior videri queat, præsertim ubi genus humanum considerat non solùm ut conditum, sed etiam ut lapsum

& corruptum, ac propterea maledictionis aeternae reum, non minus tamen falsa & absurda est, quam prior, dum statuit, Deum aeterno & immutabili decreto pro beneplacito suo proposuisse ex tota hominum colluvie, peccato contaminata, nullam ratione habitam fidei vel resipiscentiae minimam partem ex maledictione eripere & salute aeternam donare, maximam vero citra omnem considerationem incredulitatis & impoenitentiae sine omni spe gratiae in eadem relinquere, & tandem cruciatibus nunquam terminandis addicere, illud quidem ad gloriae & misericordiae suae, hoc ad potentiae & iustitiae demonstrationem. Unde eodem modo ac ordine decreta Dei collocat, ut prior, nisi quod creationem & lapsum supponat.

LXX. Merito itaque Formula Concordiae ab utraque divortium fecit & p. 802. Electionem seu propositum, voluntatem & ordinationem Dei octo gradibus, seu actibus circumscribit, quod videlicet Deus in suo proposito & consilio decreverit haec: I. *Ut humanum genus verè redimeretur, atque cum Deo per Christum reconciliaretur, qui nobis innocentia atque perfectissimam obedientiam, passione ac morte acerbissima iustitiam, quae coram ipso valet, & vitam aeternam promeruit.* II. *Ut Christi meritum ejusque beneficia per Verbum & Sacramenta nobis offerrentur, exhiberentur & distribuerentur.* III. *Decrevit etiam, se Spiritu sancto suo per Verbum annunciatum, auditione perceptum & memoriâ commendatum, velle in nobis efficacem esse, & corda ad veram poenitentiam agenda inflectere & in verâ fide conservare.* IV. *Illius aeternum propositum est, quod omnes qui poenitentiam verè agunt & Christum verâ fide amplectuntur, justificare, in gratiam recipere, & in filios & heredes vitae aeternae adoptare velit.* V. *Et quod fide justificados in verâ Charitate sanctificare velit, ut Apostolus testatur Ephes. 1.* VI. *Idem in aeterno consilio suo proposuit, se justificados etiam in multiplici & variâ ipsorum infirmitate adversus Diabolum, mundum & carnem defensurum, & in viis suis deducturum atque gubernaturum, & si lapsi fuerint, manum suppositurum, ut in cruce atque tentationibus solidam consolationem percipiant, atque ad vitam conserventur.* VII. *Illius aeternum decretum est, quod opus illud bonum, à se in illis ceptum, promovere atque confirmare, & ad finem usque conservare velit, si modo verbo ipsius tanquam scipioni constanter innitantur, ipsius opem ardentibus precibus implorent, in gratiam*

gratiâ Dei perseverent, & dona accepta fideliter & benè collocent.
 VIII. Ille item in æterno consilio suo decrevit, quod eos, quos elegit, vocavit, justificavit in alterâ, eternâ illâ vitâ salvos facere & eternâ gloria ornare velit. Hæc octo requisita Formula Concordiæ ex Apostolo Rom. viii. & Ephes. i. item parabola de nuptiis regiis probat, & singula atque universa, si prædestinationis doctrinam rectè intelligere & dextrè explicare velimus, mente complecti jubet.

LXXI. Si quis tamen rem omnem in pauca contrahere, & eos etiam actus, quos Formula Concord. tanquam certissimos supposuit, addere velit, is ad eum modum signa seu instantia ponere atque distingvere potest. In primo rationis signo Deus Adami lapsum & exitium, in quod se præcipitaturus erat, prævidit. Deinde decretum de hominibus peccatoribus omnibus ab interitu liberandis & servandis fecit. Tertio filium suum unigenitum redemptorem ac Salvatorem mittere voluit, qui justitiæ divinæ satisfaceret, & morte suâ peccatum aboleret, amissamq; salutem recuperaret. Quarto de mediis cogitavit, fide nimirum, Verbo, & Sacramentis, quibus tantî boni participes reddi & damnationem evadere possent. Voluit autè hæc omnibus offerre, omnibus communicare, nisi qui ipsi nollent, & decrevit, ut qui iis rectè uterentur, salutis æternæ participes redderentur, qui verò negligerent, & contemnerent, damnarètur. Quinto, quia ab æterno prævidit, qui juxta ordinem divinitus præscriptum, ipsius virtute & auxilio in Christum credituri erant, & in fide perseveraturi, qui in contumacia & infidelitate permansuri aut fidem iterum excussuri, ideo illos ad vitam æternam prædestinavit, hos in damnatione reliquit & æternis pœnis addixit. Atque hic ille ordo est, quem Deus ab æterno observavit, & adhuc in tempore in hominibus ad salutem perducendis, aut justè perdendis observat, unde etiam nobis unicè innotescit. Quanquam verò actus illi omnes integro Prædestinationis decreto comprehendantur, nec unus eorum omittendus, si veritatem in Scripturis nobis revelatam sequi & amplecti velimus, ultimus tamen decretum prædestinationis formaliter constituit, ad quem cæteri tanquam actus præcedanei pertinent. Continent enim beneplacitum, consilium & propositum voluntatis divinæ, secundum quod electionem Apostolus factam dicit.

De Prædestinationis executione.

LXXII. Dubium nullum est, Deum ita in tempore agere, sicut ab æterno agere decrevit, quo modo, quo ordine ac quibus gradibus homines salvare decreto æterno statuit, eodem & iisdem in tempore ad salutem perducere. Aliter enim si fieret, decretum & voluntas Dei mutaretur, & quod ab æterno facere aut fieri voluit, in tempore fieri nollet, quod impotentiae aut mutabilitatis indicium foret. Quia igitur Supralapsarii decretum Electionis ac Reprobationis primo loco collocant, & decreto de creando homine, item lapsus prævisioni anteponunt, necessario statuere debent, Creationem, & omnia præcepta, interdicta, comminationes, adhortationes de fugiendo peccato & evitandâ temporali & æternâ morte, tum ante tum post lapsum adhibitas ex Dei legislatoris intentione tanquam media executionis ad alterutrum finem, æternam salutem electis conferendam, vel æterna supplicia damnatis infligenda, collimasse, ut ex ordine decretorum supra adducto liquet. Idq; ipsi illi auctores ultrò fatentur, & tanquam veritatem cœlestem defendunt. Bucanus Loc. de Prædest. q. xxx. *Communia media Electionis nempe ac Reprobationis sunt tria, nempe Creatio hominis in recto statu, lapsus hominis & propagatio istius.* Gomarus Disp. de Prædest. *Omnia tam finis, quam media, effecta sunt electionis, quorum primaria hæc sunt, Mediatio Christi, Adoptio, Vocatio efficax, salvifica fides, justificatio & glorificatio* Hæc autem solis electis propria sunt, reprobis verò planè non communicantur, aut si exhibentur, graviore exitio iis esse debent.

LXXIII. Quæ Dordracenorum & Infralapsariorum de mediis executivis sententia sit, ex Decretis communibus, imprimis verò cap. i. n. vii. patet, ubi eorum omnium, quos Deus ex mero & absoluto beneplacito ad salutem elegit, *Christum mediatorem & caput, salutisque fundamentum constitutum esse, atq; eos omnes decrevisse* ajunt *ipsi salvandos dare, & ad ejus communionem per Verbum & Spiritum suum efficaciter vocare ac trahere, seu verâ in ipsum fide donare, justificare, sanctificare, & potenter in Filii sui communionem custoditos tandem glorificare decrevisse, ad demonstrationem suæ misericordiae & laudem divitiarum gloriosæ suæ gratiæ.* Nec abeunt procul tum exteri Theologi tum provinciales. Genevenses enim p. 55. *Vocatio efficax per Evangelium,*

gelium, inquit, & fides cordibus infusa & impressa, sunt media ad istius decreti finem obtinendum à Deo ordinata. Inter illa media verò primum locum obtinet Christus mediator, si Nassovio-Wett. p. 547. credimus. In mediis istis primum locum obtinet Christus mediator, cui Deus electos dedit, ut fide in ipsum servarentur gratis, quotquot servantur Gomarus judic. prov. p. 29. Gratia donationis Christi, vocationis, fidei, justificationis, adoptionis, perseverantiae, salutem ipsam antecedit, ut mediū eo destinatum, sed ipsam prædestinationē ad salutem ordine consequitur. Atq; eo modo alii quoq; præcipuè verò Wendelinus l. i. Christ. Theol. c. III. Thes. xviii. Media, inquit, ad executionē ordinata sunt vocatio ad Ecclesiam per verbi præconiū, Conversio, fides in Christum Mediatorem, justificatio, quorum omnium fundamentum est Christus mediator. Omnes igitur, ut patet, fidem in meritū Christi locatam, seu Christum cum meritis suis apprehensum, tanquam mediū electioni ipsi substernunt, eāq; prædestinationi posteriorem faciunt, unde ipsum decretum hoc pacto absolutū faciunt, & qui defendunt, absolutarii haud immeritò dici possunt.

LXXIV. Amyraldus in id unicè intentus, ut novam suam methodum recens excogitatam apertis & incautis Lutheranis instillet, quem Capellus, Testardus, Croci9, Bergius & alii ponè sequuntur, distingvit inter media cōmunia electis pariter ac reprobis, & peculiaria, solis electis propria. Atq; illa esse dicit Christi Incarnationem, beneficiorum per eum partorum oblationem & communicationem, vocationem per Verbum, & intentionem communicandi omnibus & singulis fructū & effectū satisfactionis Christi, hac additā hypothesi, si omnes credant: Electis autem peculiaria esse gratiā efficacem, ad credendū necessariā, quā solā fides in animis eorum generari & ad finē conservari possit, vocationem, justificationem, sanctificationē & similia. Quæ igitur offertur gratia, eā intentione, ut ad salutem tendat, ad omnes quidem tendit, non simpliciter tamen, sed si credant, unde per se insufficientis est, nisi Deus ulteriorē & fortiorē gratiæ efficacis motū superaddere velit, non vult autē illū gradū reprobis exhibere, quia ille ab aliā causā superiori, quæ est absolutū electionis & reprobationis decretū, depēdet. Unde per pronam consequentiam sequitur, in electis, quia absolutè ad vitā æternam deputati sunt, media efficacia esse, ut credere possint, in reprobis verò, quibus itidem sub hac conditione offeruntur, si credere possint, inefficacia esse, quia ipsi per naturā credere non possunt, nec Deus tantum gratiæ gradum ipsis impertiri decrevit, quòd electorum numero non comprehendantur; Perinde igitur fuerit, an hæc, quæ inefficacia sunt, an nulla omninò media illis offerantur.

LXXV. For-

LXXV. Formulæ Concordiæ sententia disertis verbis perscripta extat tùm p. 618. Epit. tùm p. 802. Declar. quod Deus omnibus hominibꝯ Christum Servatorem mittere voluerit, ut pretium redemptionis pro omnibus solveret, omnibus etiã tantũ beneficiũ offerri & per Evangeliũ annunciari curarit, omnibus fidem, & reliqua salutis consequendæ media exhibere intenderit, & quantum in se est, exhibeat. Addit tamẽ solis electis peculiaris, sanctificationẽ nimirũ, conservationẽ in tentationibus & infirmitatibꝯ, confirmationẽ, & glorificationem. Quæ ipsa tamen neutiquã ex absoluto electionis decreto, sed inde pendent, quod Deus ab æterno præviderit, qui ordini divinitus sancito obsecuturi sint, qui repugnaturi. Ideò addit p. 803. quod electos *confirmare, & ad finem usque conservare velit, si modo verbo ipsius, tanquam scipioni, constanter innitantur.* Et p. 808. in æterno suo consilio decrevisse ait, *quod eos, qui per verbum vocati illud repudiant, & Spir. S. resistunt, & obstinati in ea contumacia perseverant, indurare, reprobare & æternæ damnationi devovere velit.* Atque hæcenus de Prædestinatione.

CAP. VII.

De Reprobatione.

LXVI. Unde quid sit Reprobatio, quæ ejus causæ, quæ objecta, media & effectus, facilè intelligitur. Est autẽ talis Dei actio, quã ille omnes eos, qui oblatam gratiã pertinaciter respuunt, aut oblatam acceptamq; malè collocant, & à fide petulanter deficiunt, æternæ damnationi adjudicare decrevit. Pertinet igitur æquè ac decretũ Electionis ad voluntatẽ Dei consequentẽ, nititurq; peccato & incredulitate prævisã, non quod prævisio ejus causa sit, aut necessitatẽ Deo hominibusq; imponat, illi, ut hominem necessariò, ideò saltem quia omniscius est, damnet, huic, ut ad exitiũ invitatus rapiatur, uterq; enim liberè agit, ille decernit, hic gratiã oblatã repudiat, sed quia Deus causam, peccatũ scil. originale, eiq; superadditã malitiã actualẽ prævidet, ideò vi justitiæ suæ non potest aliter, quàm peccatorẽ, media omnia veniã consequendi petulanter repellentẽ meritis suppliciiis afficere. Non est ergò decretũ absolutum, ex mero Dei beneplacito profectũ, ut maxima mundi pars pereat, quia Deo sic placet, sed ordinatũ, cujus causa meritoria in ipsis hominibus deprehenditur. Et si omninò absolutum foret, ac peccatum ex Reprobatione tanquam effectus promanaret, eiq; instar medii subordinaretur, non posset Deus per justitiam suam reprobos ob peccata justè punire, nam perdere aliquem ob infidelitatẽ, quæ ex reprobatione necessariò sequitur, & ab homine evitari non potest, summum injustitiæ caput esset. Verùm hæc omnia in alterã parte seu Antithesi copiosius explicabuntur, & rectiùs intelligentur.

extat
ftum
ibu
ciari
bere
ulia
tibo
luto
t, qui
o. 803.
verbo
onfi
ir. S.
re &
te.

lia &
, qui
ollo
re vit.
enté;
auffa
ariò,
atur,
quia
præ
mnia
Non
xima
toria
ecca
sub
justè
eces
put

05 A 724


ULB Halle 3
003 767 248


1072

Ally







DISPUTATIO THEOLOGICA *to*
SOLENNIS
De
PRÆDESTINATIONE ET RE-
PROBATIONE,
Contra Calvinianos,
Quâ
PRÆSIDE
JOHANNNE MEISNERO,
THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. FACUL-
THEOL. SENIORE, ET ECCLESIAE COLLE-
GIATAE OMNIUM SANCTORUM
PRÆPOSITO,
PRO LICENTIA,
Assumendi summum in Theologia Gradum,
Publicè ad d. XI. Februar. Horis ante 5^o
pomeridianis
RESPONDEBIT
M. JOHANNES SIMON, Eclesi-
Seydensis Pastor & vicinarum Superin-
tendens.

WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS WENDT/
ANNO MDC LXIX.

